


GENERAL LIBRARY
UNIVERSITY OF MICHIGAN
ARTES · SCIENTIA · VERITAS
1817





QUID

DE COLLEGIIS EPHEBORUM

APUD GRÆCOS, EXCEPTA ATTICA,

EX TITULIS EPIGRAPHICIS COMMENTARI LICEAT

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Max. COLLIGNON

SCHOLÆ NORMALIS, ET GALLICÆ APUD ATHENAS SCHOLÆ OLIM ALUMNUS.




LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVII



QUID

DE COLLEGIIS EPHEBORUM

APUD GRÆCOS, EXCEPTA ATTICA

EX TITULIS EPIGRAPHICIS COMMENTARI LICEAT

TOULOUSE. — IMP. A. CHAUVIN ET FILS, RUE DES SALENQUES, 28.

QUID

DE COLLEGIIS EPHEBORUM

APUD GRÆCOS, EXCEPTA ATTICA,

EX TITULIS EPIGRAPHICIS COMMENTARI LICEAT

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Max. COLLIGNON

SCHOLÆ NORMALIS, ET GALLICÆ APUD ATHENAS SCHOLÆ OLIM ALUMNUS.



LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN BIBLIOPOLAM ET EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCLXXVII

a

ERUDITISSIMO VIRO

E. EGGER

GRATI ANIMI TESTIMONIUM DICABAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Omnia græcarum civitatum instituta arctissime inter se conjuncta esse, neminem eorum fugit, qui antiquitatem attigerunt. Quare facile intelligetur adolescentium disciplinam eadem ratione compositam fuisse, qua ceteræ leges fundatæ sunt. Quum modicus esset ingenuorum numerus, magna autem exstarent civica jura; quum ad rem publicam bene gerendam maximi interesset ut cives ab adolescentia jura, officia, instituta denique patria discerent, imprimis oportuit civitatem juvenes quasi peculiares alumnos extollere, et ad vitam publicam auspicandam publica disciplina formare. Evolventi cuipiam historicorum vel philosophorum scripta, apparet Græcos insigni studio de educanda juventute consuluisse, quippe quæ patriæ annuum veluti civium proventum afferret. Inde fit ut apud Atticos, remotis sane temporibus, instituta sint collegia ephebica, in quibus juvenes vitæ publicæ quasi tirocinium capesserent. Ibi enim, a duodevigesimo anno usque ad vicesimum annum, Atheniensium civium filii, patrona patria, a magistratibus et ministris delectis aluntur, et nutriuntur ab ipsa civitate. Quæ civi agenda sunt, eadem agit ephebus; ita ut plane asseve-

rari possit ephebicam vitam vitæ publicæ quasi adumbratam imaginem exstitisse. Sive enim in ecclesia oratores audiat, publicis litibus intersit, et patrias leges discat vereri; sive religionis sacra et pompas sollennes sequatur; sive corpus gymnicis laboribus, animum philosophiæ, litterarum, artium, musicæ studiis exerceat; sive denique militari disciplina imbuatur, et in armis Atticæ fines, tanquam περίπολος, tueatur, ephebus attici civis partes præoccupat, et ad munia sua bene gerenda, auspice patria, præmunitur. Quum inter ephebos, in tabulas civitatis inscribitur, jurat se officia civium summa fide esse observaturum; quam gravi autem animo ephebus collegium iniret, ex ipsis jurisjurandi verbis judicamus (1).

Quod ad ephebiam atticam pertinet, magna documentorum copia suppeditat, ex quo, anno 1860, Athenis reperta sunt decreta, marmori insculpta, quæ hujus instituti quasi peculiares et privatos annales in lucem attulerunt (2). Si lapidum testimonia cum historicorum et philosophorum dictis conferantur, procul a dubio videbitur ephebiæ historiam et disciplinas omnino cum iis, quæ de publicæ vitæ necessitatibus prolata sunt, esse consentaneas.

Sed non Athenis solummodo epheborum collegia floruisse facile conjicias. Ceteræ enim civitates, sive in Græcia, sive in Asia Minore, haud ita discrepantia ab

(1) Tritum est et pervulgatum hoc jusjurandum a scriptoribus esse servatum. Vid. Stobæi *Florilegium*, 43, 48. Pollux, VIII, 105.

(2) Plane innotuerunt lapides inventi prope Pyrgiotissam, et prope ecclesiam cui vocabulum attribuitur : Haghios Dimitrios Katiphori. De ephebia attica vide imprimis quid disseruerint Dittenberger, *De Ephebis atticis*. Gottingæ, 1863; et A. Dumont, *Essai sur l'Ephébie attique*. Paris, 1876, 2 vol.

atticis instituta habuere. Quum similia pæne essent in omnibus Græciæ partibus civium officia, nil mirum si ephebica collegia in multis civitatibus, non imitationis gratia, sed quasi sponte sua viguisse reperiamus. Vel deficientibus titulis qui nos monerent collegia hujusmodi extra fines Atticæ invaluisse, quis est qui easdem disciplinas ex iisdem causis defluxisse affirmare non audeat? Attamen non sola rerum ratio, verum etiam nonnulla in tabulis inscripta documenta ceteros Græcos, haud minus atque Athenienses, educandam juventutem singulari studio curasse comprobant. Qualia fuerint illa *extera collegia* (si ita denominari placet), nemo adhuc explanavit. Hoc propositum habui, peregrinæ ephebiæ quasi imaginem delineare, leges, instituta, disciplinas describere, et præsertim, quod maxime mihi in animo fuit, quatenus ab attica ephebia dissimilis exstiterit, inquirere. Ex iis quæ de collegio attico novimus, aliquid sane ad nostrum inceptum redundabit; quod si quædam obscuriora in titulis exteris occurrant, iis quasi lumen admovere, juvante Attica, licebit. Etenim attica ephebia ante omnes prælucere videtur, neque ulla est quæ pari fortuna invaluerit.

Incipienti cuivis hanc ephebiæ historiam tractare, bina documentorum genera suppeditant : hæc historicorum vel philosophorum scripta, illa epigraphici tituli tradiderunt. Cur rem totam non amplexus sim, et e titulis solum hujusce opusculi materiem deprompserim, paucis exponam. Si quæ de institutis græcis antiqui scriptores retulerunt revolvas, sæpius omitti ephebiæ nomen compertum habebis; nullus enim est sive historicus, sive philosophus, qui ephebiæ leges et disciplinas de integro exprimere aggressus sit. Quædam tantummodo reperiun-

tur, aut dicta, aut facta, ad ephebiam certe pertinentia, quæ nunquam, nisi exstitissent epheborum collegia, interpretari valeas. Sed e talibus indiciis non plane licet deprehendere qualis fuerit ephebia. Præterea, pleræque quæstiones quæ ad res epheborum spectant, cum juris civilis et publici varietatibus conjunctæ sunt; quas nemo exsolvere possit, nisi prius juris et institutorum vices in unaquaque civitate attigerit. Nempe, quum ephebia revera nihil aliud fuerit, nisi vitæ publicæ quædam exercitatio, quis non assentiatur, mutatis ipsis hujus vitæ conditionibus, simili fortuna variatas ephebiæ disciplinas evasisse? Quæ studia, hujus disputationis fines longe excedentia, in posterius distulimus.

Quod ad præsentem libellum attinet, epigraphicis documentis præcipue usi sumus. Nobis in mente fuit exponere :

1° In quibus civitatibus, et quo tempore floruerint collegia epheborum ;

2° Quibus magistratibus et ministris civitas coercendos et educandos ephebos commiserit, et quæ munera vel quos honores ephebi sibimetipsis vindicare soliti fuerint;

3° Quibus exercitationibus religionis sacra, disciplinam militarem, litteras, musicam, ceterasque artes ephebi discerent.

Nihil attulimus, nisi quod titulo quodam probatum visum est; sic uberioris libri veluti capita descripsimus, quo ephebiæ historia, pro diversis Græciæ regionibus, tractari possit.

De inscriptionibus ipsis quas sumus sciscitati, pauca dicenda sunt. Varia titulorum genera epheborum res commemorant; præsertim catalogi agonistici, vel tabulæ

militares, quibus juvenes inscribuntur, quum, peracto ephebiæ temporæ, vitæ publicæ officia auspicantur. Sæpe etiam tituli funebres ephebi cujusdam nomen præbent; quos prudenter attrectavimus; nam utrum ephebiæ civilis an naturalis mentio facta sit, non satis liquet. Præter quos in *Corpore inscriptionum græcarum* Bœckh edidit, et suppeditant recentiores libri, ut ii qui inscribuntur Rangabé, *Antiquités helléniques*, *Voyage archéologique de Le Bas*, Keil, *Sylloge inscriptionum bœoticarum*, etc., multos etiam reperimus in diariis vel periodicis ephemeridibus hellenicis; in iis scilicet quæ dicuntur Ἀθήναιον, Πανδώρα, et aliis quæ Smyrnæ vel Constantinopoli publicantur (Ἑλληνικὸς φιλολογικὸς Σύλλογος ἐν Κ/πόλει — Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκη τῆς Εὐαγγελικῆς Σχολῆς ἐν Σμύρνῃ. 1876). Titulos denique qui aut inediti, aut minus noti mihi visi sunt, ad calcem hujusce disputationis subjeci.

CAPUT PRIMUM.

QUIBUS IN CIVITATIBUS, ET QUA ÆTATE COLLEGIA EPHEBORUM FLORUERINT.

Quum tituli valde dispersi sint, primum necesse fuit eos colligere, prout ad singula collegia pertinebant. Quibus collectis, et secundum annorum seriem ordinatis, quæsivimus quæ fuerit ætas antiquissimi, quæ recentissimi; ita reperire licuit quamdiu, in quaque civitate, collegium epheborum floruerit. Omnes titulos sane non novimus; neque temporis terminos quasi sint immoti, constituimus. Nempe fieri potest ut, ad lucem provectis novis et adhuc ignotis inscriptionibus, illi, quos posuimus, fines longius removeantur. Quod vero ad titulos spectat, qui usque ad hoc tempus publici juris facti sunt, nostra, quam exposuimus, indagandi ratione, certos ætatis terminos invenire videmur. Jam abhinc, in sequentibus paginis, nota epheborum collegia inscribimus.

1° Megaridis urbes :

Ægosthenes (Vide : *Voyage archéologique*, Le Bas et Foucart, n. 3, 4, 5, 6, 7 a, 8, 9, 10, 11). Titulorum ætatem ex eo novimus, quod archon urbis bœoticæ On-

chesti prope Ægosthenis archontem nominatur. Eo enim tempore, civitates Megaridis ab Achæorum cœtu deficiunt, et fœderatis Bœotiæ urbibus sese adjungunt (1). Ergo ætas qua tituli exarati sunt ab anno 223 usque ad annum 192 a. J. C. extenditur.

Megara (Le Bas et Foucart, n. 10 et 34 b.). Titulos megarenses ad idem tempus referri necesse est. Nempe archontem eponymum Onchesti et illi commemorant; immo eumdem archontem hujus civitatis in binis titulis, uno megarensi, altero ægosthenitano, reperimus.

2° Sicyon. Sicyone ephebiam exstitisse solus Pausanias denuntiat (2); sed ex brevi illa mentione, non satis liquet quo tempore collegium sicyonense viguerit.

3° Argos (Le Bas et Foucart, n. 119).

Nulla facta est temporis mentio.

4° Messenia : Thouria (Le Bas et Foucart, n[os] 301, 302). Prioris tituli ætatem indagare licet ex nomine ephebi cujusdam, qui vocatur Νικώνυμος : simile enim nomen nobis tradiderunt nonnulli Thouriæ civitatis nummi (3) ; et fieri potest ut hic ephebus postea magistratus conflandæ monetæ præpositus evaserit. Inde fit ut titulus noster ante scriptus fuisse videatur quam civitas in societatem Achæorum recepta fuisset.

Corone (Le Bas et Foucart, n. 305).

Ejusdem tituli magnum fragmentum nuperrime edidit

(1) Vide quæ annotaverit Foucart, in commentatione de titulo 34 a. (*Voy. archéologique*).

(2) « Τὸ δέ σφισι γυμνάσιον τοῦτο Κλεινίας ᾠκοδόμησε, καὶ παιδεύουσιν ἐνταῦθα ἔτι τοὺς ἐφήβους. » Paus., l. II, c. 10, 7. Ejusdem auctoris testimonio novimus Pellenes ephebiam, quæ titulo nullo denuntiatur : « Γυμνάσιον δὲ ἀρχαῖον ἐς ἐφήβων μάλιστα ἀνεῖται μελέτην... » Id., l. VII, c. 27, 5.

(3) Mionnet, *Cabinet des médailles*, t. II, p. 215.

diarium atticum Ἀθήναιον (1875). Quæ sit ætas tituli, ex ipso novimus; nempe annum 277 (ἔτους σοζ′), Achæorum numerandi ratione, sive 131 post Christum lapis denuntiat. Tum Corone inter urbes cœtus Achæi, (κοινὸν Ἀχαίων) numerabatur.

5° Laconia. Sparta. (Le Bas et Foucart, nos 164, 167, *Corpus inscr. græc.*, nos 1239, 1255, 1256, 1359, 1364 b, etc.). Spartanæ inscriptiones quæ ephebos memorant, pleræque tempore romani principatus scriptæ sunt. Titulus enim quidam a v. cl. Le Bas editus (1) patronymum eponymum Mnesiclem designat, qui Nerva principe munus suum obtinuit (2). Alter spartanus titulus nominat synephebum quemdam illius Seidectæ, qui patronymus eponymus exstitit, eodem anno quo Hadrianus imperator primum Spartam invisit (3).

6° Bœotia.

Thespiæ (Le Bas et Foucart, n. 491). Si litterarum formam attendas, haud dubium quin titulum romanæ dominationis tempori attribuere debeas.

Orchomenus (Keil, *Sylloge inscriptionum bœoticarum*, XV a). Ætas tituli primo ante Christum sæculo proxima est. Qui vero sub numero XXXVIII *a* in supradicto libro inscriptus est, ad tertium vel quartum ant. Chr. sæculum referri potest.

Platææ (Keil, ibid., VII b). Tempus est romanæ dominationis.

7° Locris, Naryce (Le Bas, n. 1009). Nullum in titulo

(1) N° 164.
(2) Cf. *Corpus inscr. græc.*, n° 1424.
(3) *Corpus inscr. græc.*, n° 1241, linea tertia.

indicem deprehendimus, qui ætatis cujusdam certiores nos faciat.

8. Macedonia et Thracia. Edessa (*Corpus inscr. græc.*, n. 1997 c; et Le Bas, n. 1346, part. VII). In ipso titulo ætatem legimus : ἔτους ηκτ, scilicet annum 275 actiacæ ætatis, sive 298 post Christum. Alter Edessæ titulus nuperrime editus est, in quo legitur : ἔτους ζο[τ], sive 231 post Chr. (Vide Duchesne, *Mission au mont Athos*, *Archives des missions scientifiques*, 1876, n. 135).

Derriopos. Titulum edidit Papadopoulos, in diario atheniensi Πανδώρα, anno 1870 (1). In titulo videmus : ἔτους ΘΞΣ ; annus est nempe 269 ætatis macedonicæ, sive 121 post Christum.

Celetrum (Le Bas, n. 1331, cf. Leake, *Travels in Northern Greece*, p. 318 ; Bœckh, *Corp. inscr. græc.*, n. 1957 g). Hunc titulum falso civitati Berrhœæ attribuit Le Bas; nunc eum Celetri exaratum fuisse constat (2). Ætatem tituli esse annum 65 post Christum Bœckh existimavit; Leake autem 105. Ex recentiore apographo, judicare licet annum esse 297 ætatis macedonicæ, sive 148 post Christum (ἔτους ΔϞΣ).

Thessalonica. Bini tituli collegium epheborum commemorant; quorum primum nuper accuratius edidit L. Duchesne (op. laud., n°. 60). Ætas inscripta est, scilicet ἔτους ΔϞΡ Σεβαστοῦ, sive annum 194 ætatis augustanæ, hoc est 164 post Christum. Alterum (vid. L. Duchesne, n° 2) ante romanam dominationem scriptum fuisse desi-

(1) Ἐπιγραφαὶ ἐν Πελαγονίᾳ συλλεγεῖσαι, n° 2. Cf. Koumanoudis, Ἐφημερὶς τῶν Φιλομαθῶν, septembri 1864. Cf. etiam, Ὁ ἐν Κ/π. Ἑλληνικὸς φιλολογικὸς Σύλλογος. Τομ. Ε', 1870, 1871, p. 3, n° 2.

(2) Vide Duchesne et Bayet, *Mission au mont Athos*, n° 134.

gnant quum litterarum forma, tum mentio magistratus qui ταμίας Ῥωμαίων vocatur.

Philippopolis. Nulla ætatis mentio (Vide A. Dumont : *Inscriptions et monuments figurés de la Thrace : Archives des missions scientifiques.* 1876, n° 43).

Sestos. Titulum edidit E. Curtius (*Hermès.* 1873, p. 113) (1). Ætas apparet ex eo quod mentio facta est civis cujusdam qui, Menas nomine, dicitur ἱερεὺς... ἀποδεχθεὶς τοῦ βασιλέως Ἀττάλου. Attalus ille quis sit, non satis liquet; attamen inter duos reges solummodo quæstio est ambigua : scilicet Attalum II Philadelphum (159-138 a. Christum), et Attalum III Philometorem (138-133 a. Christum). Quare verisimile videtur titulum nostrum ad macedonicam ætatem esse referendum, videlicet inter annos 159 et 133 ante Christum natum.

Byzantius. Titulos ephebicos ediderunt Mordtmann et Dethier : « *Epigraphik von Byzantion und Constantinopolis, von den altesten Zeiten bis zum Jahre Christi* 1453. Wien. 1864. » Vide p. 73. LVI. Quos epheborum catalogos auctores publicandi putant ad tempora romanæ dominationis esse referendos.

9° Insulæ maris Ægæi.

Thera (*Corpus inscr. græc.*, n. 2448). Hic titulus, qui vulgo *Testamentum Epictetæ* vocatur, secundo vel tertio ante Christum sæculo attribuitur.

Naxos (*Corpus inscr. græc.*, n. 2416). Ætas romana est.

Chios (*Corpus inscr. græc.*, n. 2214). Bœckh putat titulum ante Augustum scriptum fuisse, fortasse Syllæ tempore.

(1) *Inschrift aus Sestos.* Idem titulus nuper editus est in diario Smyrnæo (Πρόοδος, septembri 1876), ex apographo consulis britannici Frank Calvert.

Cos (Vide : O. Rayet, *Inscriptions de l'île de Kos*, n° 6) (1). Pejoris ætatis esse titulum litterarum forma demonstrat.

Rhodos (Ross : *Hellenica*, p. 67, n° 3).

Corcyra (*Corpus inscr. græc.*, n° 1883). Ætas ex mentione Herodis Attici nota est.

Cyprus. Urbs Salamis (Le Bas et Waddington, n° 2765). Nomen Ptolemæi Philometoris ætatem designat, videlicet annos 181-146 ante Christum.

Lapethos (Le Bas, n° 2773). Ad tertiam Tiberii tribunitiam potestatem titulus referendus est : scilicet ad annum 29 post Christum natum.

Icaria (Vide titulum quem ad calcem hujusce disputationis distulimus, n° 3) (2). Legitur ætas inscripta : ἔτους ξή, videlicet annus 68 actiacæ ætatis, sive 91 post Christum.

10° Asia Minor.

Cyzicus. Permulti lapides collegium epheborum in Cyzicenorum civitate floruisse testantur. Qui a Bœckh editus est (*Corpus inscr. græc.*, n° 3665) certe post Hadrianum imperatorem exaratus est. Decreti quo ephebos pompæ sollennis participes esse memoratur, ætatem comperimus e nomine reginæ Antoniæ Tryphænæ, quæ Kotyis regis uxor exstitit (3); annum nempe 39 post Christum.

Lampsacus (*Corpus inscr. græc.*, n° 3644).

Assos (*Corpus inscr. græc.*, n° 3597. a.).

(1) *Annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques.* Année 1875.

(2) Editus est nuperrime in diario Smyrnæo : Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκη τῆς Εὐαγγελικῆς Σχολῆς.

(3) Vide Curtius, *Monatsberichte der k. preuss. Akad. der Wissenschaften*, 1874, III et IV.

Ilium (*Corpus inscr. græc.*, n° 3620).

Pergamus Mysiæ (*Corpus inscr. græc.*, n° 3538). Memoratur ibi tertius Pergamenorum neocoratus; inde reperimus ætatem lapidis inter Antonini Pii et Caracallæ principatus esse statuendam. Alter titulus, nuper repertus in vico dicto Kirk-Agatsch (1), Pergamo certe attribuendus videtur; quem E. Curtius Attalidarum tempore exaratum fuisse commentatur.

Elaia. Ætatem tituli apud Kilissé-Keuï inventi, designat nomen Attali Philometoris (2).

Cyme (*Corpus inscr. græc.*, n° 3524). Decretum inter annos 752 et 767 ab Urbe condita lapidi insculptum est (3).

Teos (Le Bas, n° 1558). Ephebi coronam decernunt tibicini Cratoni, qui quo tempore vixerit, ex aliis titulis perspicere facile est (4). Pergami enim degebat, regnantibus Eumene II et Attalo III; maximo autem omnium favore præclaruit, inter annos 172 et 150 ante Christum. His circiter annis attribuendus est titulus ephebicus quem supra memoravimus. Quid, quod alter titulus ad ephebiam spectans, notum aliunde virum designat, Pium scilicet Pisoninum, cujus nomen nonnunquam la-

(1) Vide E. Curtius, *Beiträge zur Geschichte und Topographie Kleinasiens*, 1872. Tabulâ VII, p. 63.

(2) E. Curtius (loc. cit.) existimat vicum Kilissé-Keuï haud longe a situ Elaiæ, portus scilicet Pergamenorum, distare. Simili ratione, alterum titulum ibidem repertum Elaiæ attribuimus (Vide Appendicem, n° 2).

(3) De ætate tituli vide quæ commentatus sit Egger, *Mémoires d'histoire ancienne et de philologie*, p. 86, *Sur une inscription de Cymé*.

(4) Vide *Corpus inscr. græc.*, n°s 3067, 3071. Le Bas, n° 255. Cf. quæ de Cratone disseruit P. Foucart, *De collegiis scenicorum artificum apud Græcos*, p. 26 seq.

pidibus insculptum legimus (1)? Vixit ille eo tempore quo M. Peducæus Priscinus Asiæ proconsulatum obtinuit, scilicet anno 120 post Christum. Eadem est ætas tituli qui in *Corpore inscr. græcarum*, n° 3062, editus est; et inde perspicimus Teiorum ephebiam inter annos 160 ante Christum, et 120 vel 130 post Christum certe floruisse.

Priene (Vide *Corpus inscr. græc.*, n° 2096).

Smyrna (*Corpus inscr. græc.*, n° 3384). Pædotriba Ποπλίος Αἰλίος Τερτίος designatur; quin et nominantur aliquando Tertii in nummis Smyrnæis (2).

Ephesus. Ephebiam Ephesi exstitisse demonstrant insignes tituli a Wood effossi, qui omnes ad tempus romanæ dominationis referuntur (Wood : *Discoveries at Ephesus*. 1877. Titulus in Augusteo repertus, n° 4, et itidem titulus Salutarii, col. 3, l. 33; col. 5, l. 18, 60 seq.).

Metropolis (*Corpus inscr. græc.*, n° 3034).

Stratonicea (*Corpus inscr. græc.*, n° 2715 a. Le Bas et Waddington : *Asie-Mineure*, n° 519-520). Quum romanæ dominationis mentio facta sit (3), nec tamen memoretur jus asyli Tiberium Stratoniceæ templo confirmasse (4), suspicari licet hunc titulum posteriore ætate fuisse scriptum.

Philadelphia (Le Bas : Pars V, n° 643). Ætas romana est.

Acmonia (Le Bas : Pars V, n° 754). Mentio facta est

(1) Vide Le Bas, n° 147.

(2) Eckhel, *Doctrina nummorum veterum*, II, p. 544, 553. Mionnet, *Descr. numm.*, t. II, p. 214, 215.

(3) « ἐπὶ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς. »

(4) Anno 22 post Christum.

Juliæ Severæ et L. Servenii Capitonis qui nomine suo multos Acmoniæ nummos, Tiberio principe, signavere (1). Quare titulum nostrum primo post Christum sæculo attribuere licet.

Colossæ (Le Bas et Waddington, n° 1693 b.).

Cibyra (Le Bas et Waddington, n° 1213). Ætatem novimus e gymnasiarchia Philagri, quæ incipit anno 826 ab urbe condita (73 post Christum). Philagrus autem jam undecimum annum gymnasiarcham obtinet; ergo titulus annum 837 ab. U. C., sive 84 post Christum denuntiat.

11° Ceteræ regiones.

Berytos (?). Titulus in lapide pictus magistrum epheborum (παιδεύσαντα εφήβους) commemorat (2).

Byblos (E. Renan : *Mission de Phénicie*, p. 184). Magister epheborum designatur.

Cyrene. Ephebos exstitisse comperimus e testimonio Aristophanis Byzantii, qui nomen quoddam peculiare ephebis attributum consignat : τρικάπους enim eos vocabant (3).

Gela (Sicilia). Vide titulum a Bœckh editum : *Corpus inscr. græc.*, n° 5475. Editori formam litterarum inspicienti, visus est titulus ante olympiadem 125 exaratus.

Soluntum (Sicilia). Ephebos memorat titulus quidam

(1) Eckhel, op. laud., t. III, p. 128.

(2) G. Perrot, *Inscriptions d'Asie mineure et de Syrie*, n° 9. *Revue archéologique*, 1877, janvier.

(3) Vide Miller, *Mélanges de littérature grecque*, *Fragments d'Aristophane de Byzance*, p. 429.

« Ἐν δὲ Κυρήνῃ τοὺς ἐφήβους τρικάπους καλοῦσιν. » Apud Eustathium legitur τριακάπους (ad Iliadem, p. 1592, 57). Cf. Thesaurus, τριακατίους. Adde quod idem in Creta ephebos nomine ἀποδρόμους designatos fuisse memorat. Non aliunde autem Creticam ephebiam novimus. Quod testimonium levioris est ponderis quam ut hanc insulam catalogo nostro adscribamus.

Solunti repertus, quem publici juris fecit G. Fraccia (*Di una inscrizione scoperta in Solunto. Dal R. Museo di Palermo, 7 luglio* 1865). Ætas lapidis Augusto posterior esse videtur.

Massalia. Hujus civitatis ephebiam cognoscendi copiam nobis facit titulus a v. cl. Egger editus (1), tabula scilicet ærea, græcis characteribus inscripta. Si litteras, argenti bracteis inductas, inspiciamus, videre est ætatem tituli primo post Christum sæculo esse proximam.

Ex illis titulis quos in longiore forsan catalogo composuimus, docemur ephebica instituta in omnibus fere regionibus, quas Græci incoluerunt, pari favore floruisse. Nec supervacaneum erit e titulorum serie depromere illos qui ætatem quum remotissimam, tum recentissimam significant, ita ut tempus quo collegia viguerint extremis quasi terminis concludamus. Ii sunt sequentes : tituli Megaræ et Ægosthenis, qui annos 223 usque ad 192 ante Christum demonstrant; tituli autem Edessæ, qui instituta ephebica usque ad annos 275 vel 298 post Christum exstitisse comprobant. Ergo, lapidum testimonio freti, id tantum tempus attingemus quo Græcia, vel macedonicæ vel romanæ dominationi subjecta, jam ad servitutem paulatim vertebatur. Nemo erit qui non pluris faciat si nobis liceret ephebica instituta exponere qualia fuerint, quum Græcia libera filios suos ad publicæ vitæ necessitates enutriret. Hoc tamen attendamus, ephebiæ disciplinas vel deterrimis temporibus integras mansisse, neque a priori ratione multum declinasse; neque profecto erit

(1) *Note sur une inscription grecque de Marseille.* (*Extrait du compte rendu des travaux du congrès scientifique de France, tenu à Aix-en-Provence, en décembre* 1876).

cur miremur, tristi sane fortunæ vice, etiam tum ephebos ad civica jura exercenda informari non desiisse, quum, ad maturam ætatem provecti, liberæ civitatis modo simulacrum et umbram offendere deberent.

Nullas fere Græciæ regiones ephebiæ institutis caruisse, quum supra compositus catalogus, tum ipsa rerum ratio confirmat. De publicæ vitæ officiis jam satis diximus. Adde quod, liberis temporibus, ex ipso Græciæ statu necessitas quædam oriebatur ut omnes civitates juvenes suos educandi pro parte sua munus susciperent. Sævientibus enim bellis, et publicis simultatibus invidiam acerrimam alentibus, quomodo civitas quædam urbi vicinæ et infensæ ephebos suos patria jura edocendos commisisset? Quæque civitas summa diligentia suis commodis inservit, sua jura tuetur et defendit; neminem fallit quatenus hæc invidiosa libertatis municipalis cura processerit. Licet Athenienses, humaniore indole ad mitiores mores versi, vel peregrinos juvenes in ephebiam suam admittant, et vulgatam fuisse hanc facilitatem sæpenumero testentur attici tituli (1), quos videmus tali beneficio usos fuisse? Asiaticos scilicet et Syrios præcipue. Megara autem, quæ brevi spatio Athenis distat, urbes bœoticæ, Sparta, attici collegii splendore nequaquam alliciuntur et suos ephebos retinere student.

Non quod in catalogis atticis reperire valeas ephebos

(1) Vide quæ disseruerit A. Dumont, op. laud., t. I, p. 99, § 2. Ita Coi juvenes decreto populi atheniensis in collegium atticum admittuntur; sic Athenienses Hippocratis merita remunerantur. « Καὶ ἐξεῖναι πᾶσι Κῴων παισὶν ἐφηβεύειν ἐν Ἀθήναις, καθάπερ παισὶν Ἀθηναίων » (*Corpus inscr. græc.*, I, p. 379). Meminerimus tamen et Coum suum collegium habuisse.

ex illis civitatibus oriundos, quæ et ipsæ collegium habuerunt. Perlustrantibus enim nobis titulos in quibus ephebi exteri, vel ξενοὶ, memorantur, nonnunquam occurrunt juvenes Berytii, Sidonii, Thespii, Platæenses, Sicyonii, Messenii (1). Sed si hos titulos ad romanam ætatem plerumque pertinere reputamus, et animadvertimus contra quanta fuerit copia juvenum qui ex Asia, Syria, Thracia, Athenas, veluti ad nobilissimum artium litterarumque domicilium, concurrebant, tanto minor videbitur numerus eorum qui, ex ipsa Græcia oriundi, patrium collegium deserunt, ut inter ordines epheborum atticorum inscribantur; nec quidquam invenies, cur supra dictis non assentiaris. Quod quidem magni momenti esse arbitramur ut procul a dubio sint quæ antea evincere conati sumus; ephebica scilicet instituta non casu quodam, sed propter rerum necessitatem per omnes fere Græciæ regiones floruisse.

(1) Invenies enim exteros ephebos in sequentibus titulis a v. cl. Dumont editis (vol. II). Berytios, *Inscr.*, V, l. 120; XXVIII, l. 137, 144. Sidonios, XX, l. 121, 123, 107. Thespios, V, l. 121. Sicyonios, V, l. 113; VII, l. 105. Platæenses, XX, l. 114, 124.

CAPUT SECUNDUM.

DE LEGIBUS COLLEGIORUM.

« Nemo in civitatis album inscribitur, nisi ante epheborum exercitationes obierit (1). » Quod de Pellene civitate scribit Pausanias, de universis fere Græciæ urbibus asserendum esse videtur. Pertrectanti enim cuivis ephebicos titulos, manifestis indiciis apparet nihil Græcis antiquius fuisse, quam ut juvenes animi et corporis cultu dignos efficerent, qui res publicas et ipsi susciperent gerendas. Ergo, quamprimum affirmari potest minime constituendo collegio defuisse leges certas, arctissimo vinculo cum ceteris reipublicæ institutis connexas. Nihil enim in collegio agitur, quod civitas non providerit; de legibus ephebiæ sanciendis curat populus; epheborum mores et universam vitam quasi publico patrocinio tuetur. Quanquam magistratibus quibusdam res collegii administrandæ committuntur, et ideo instituuntur gravissima munera (2), ipsa respublica sæpissime, nullo interposito magistratu, ephebos regit, quid profecerint

(1) « ... Ἐς τὴν πολιτείαν ἐγγραφῆναι πρότερον καθέστηκεν οὐδενί, πρὶν ἂν ἐφηβεύσωσιν. » Pausanias, l. VII, c. 27, 5.

(2) Vide quid de ephebarcho et gymnasiarcho sequentibus paginis disseramus.

inspicit, et collegii mores propria auctoritate moderatur. Populi et senatus mentio nonnunquam in titulis facta, haud eluctandis argumentis comprobat civitatem invigilare ut omnia ex legibus et decretis fiant. In titulo apud vicum dictum Kilissé-Keuï reperto (1), et ad urbem Elaiam referendo, populus cum ministris collegii et ephebis nuper inscriptis memoratur. In collegio Edessæ, ipse senatus juvenes inter epheborum ordines admitti curare dicitur (2). Tenuiora sane indicia e lapidibus deprehendimus quam ut plane describamus quæ fuerint in collegio administrando senatus vel populi partes. Hoc unum constare volumus : de ephebia rempublicam, in quaque civitate, diligentissime curare, et penes populum ac senatum maximam auctoritatem, quod ad res ephebicas spectat, residere.

Quotannis, apud Athenienses, exacto ephebiæ tempore, rationes collegii a magistratibus ante populum reddi, et contra, ex senatusconsulto, laudari magistratus, aurea corona ephebos, frondibus olivæ magistros decorari, memorant Athenis nuper effossi lapides. Nulla licet hujuscemodi decreta ad exteras ephebias pertinentia ad nos pervenerint, procul a dubio sane videbitur talia exstitisse (3). Nempe ephebiæ moribus et institutis

(1) Vide appendicem, nº 2. Ὁ δῆμος · οἱ παιδευταὶ · οἱ ἐνκριθέντες εἰς τοὺς ἐφήβους.

(2) Ἀπογραφὴ ἐφήβων τῶν ἐφηβευσάντων... κατὰ τὸ δόγμα τῆς βουλῆς. *Corpus inscr. græc.*, nº 1997 c., t. II.

(3) Memoremus tamen titulum in urbe sicula, Gela, repertum, quo laudatur a populo et corona ornatur gymnasiarchus, ephebiæ videlicet præses; epheborum nempe nomina sequuntur :

Ὁ δᾶμος τῶν Γελῴων ἐπαινεῖ καὶ στεφανοῖ τὸν γυμνασίαρχον Ἡρακλείδαν Ζωπύρου ἐλαίου στεφάνῳ, ἐπιμελείας ἕνεκεν καὶ φιλοπονίας τᾶς κατὰ τὸ γυμνάσιον.

Ἔφηβοι οἱ στεφανωθέντες. *Corpus inscr. græc.*, nº 5475, l. 30 seq.

consentaneum est populum res per annum gestas inspicere, et sollenni decreto ephebos laudare, si κατὰ τὸ καθῆκον (ut attici collegii formulam usurpem) omnia perfecerunt.

Ergo hoc primum asseri potest, rempublicam summa diligentia res, instituta et exercitationes epheborum prosecutam esse. Nunc restat ut ipsas collegii leges accurate exponere aggrediamur.

Si titulos inter se conferamus, eæ sunt quæstiones de quibus novi aliquid eruere valebimus. 1° Quibus conditionibus juvenis, epheborum numero jam adscribendus, satisfacere deberet. 2° Per quantum tempus ephebus in collegio maneret. 3° Quomodo, et qua formula ephebus e collegio exire diceretur. Ita dispositis capitibus, cujusque materiam ordine attingemus.

§ I. — De conditionibus ephebiam ineundi.

Si quis primum exquirat qua ætate juvenis fieret ephebus, plane intelliget hunc quæstionis nodum arctissime cum altero cohærere: scilicet qua ætate juvenes ingenui civica jura capesserent (1). Nempe ephebus, vix e col-

(1) Hæc quæstio perobscura est; et inde difficultas oritur, quod non satis accurate vulgo distinguitur quæ ad atticam ephebiam, quæ ad peregrinam pertineant; neque satis liquet ad quod temporis spatium quæque scriptorum testimonia sint referenda. Quod ad nomina spectat, quibus juvenis ante ephebiam designaretur, animadvertendum est varia vocabula, pro variis civitatibus, sæpius idem valuisse. Quare non erit supervacaneum memorare quibus nominibus, extra Atticam, varii ætatis gradus apud Græcos fuerint discreti. Apud Lacones, pueri ab infantia nomina usurpant, quorum seriem novimus. Unum annum natus, vocatur ῥωβίδας, duo, προκομιζόμενος; tres, μικιζόμενος; quatuor, πρόπαις; quinque, παῖς; sex, μελλείρην; ephebus autem fit a quatuordecimo anno usque ad vigesimum (Vide : Glossæ Herodoti, ed.

legio recens, inter cives receptus, in tabulas publicas inscribebatur. Quum ætas civilis in quaque civitate non eadem semper exstiterit, sed, secundum varias publici juris vices, varia et ipsa evaserit, verisimile est ætatem ephebicam pari fortuna esse mutatam. De quo nullum ad nos testimonium pervenit, nisi attingimus quæ scripsit Herodoti scholiastes (1). Sexto enim decimo anno, Spartanus juvenis, si huic assentimur, ephebus fiebat. Titulos indaganti, unus tantum occurrit qui ætatem ephebicam designare videatur (2); nec displicet nobis existimare in titulo metrico ephebiam naturalem, potius quam civilem, significatam esse. Verumtamen si attendimus juvenem atticum duodevigesimo anno inter ephebos annumerari, verisimile erit eamdem fuisse, in plerisque civitatibus, collegium ephebicum ineundi ætatem.

Sed ut adolescentem inter ephebos civitas adsclsceret, non solummodo ad certam ætatem eum pervenisse necesse erat. Ante quam nomen ejus in tabulas publicas inscriberetur (3), *δοκιμασία* quædam juvenem veluti pro-

Schweighæuser, p. 357). Alterum autem nominum ordinem comperimus e loco quodam Aristophanis Byzantii : « Παῖς... ὁ διὰ τῶν ἐγκυκλίων μαθημάτων δυνάμενος ἰέναι · τὴν δὲ ἐχομένην ταύτης ἡλικίαν οἱ μὲν πάλλακα, οἱ δὲ βουπέδα · οἱ δὲ ἀντίπεδα (l. βούπαιδα et ἀντίπαιδα), οἱ δὲ μελλέφηβον καλοῦσιν, οἱ δὲ μετὰ ταῦτα ἔφηβος (l. ἔφηβον). Ἐν δὲ Κυρήνῃ τοὺς ἐφήβους τρικάπους καλοῦσιν, ἐν δὲ Κρήτῃ ἀποδρόμους. » Miller, *Mélanges de littérature grecque*, p. 429.

(1) Ἐφηβεύει δὲ παρ'αὐτοῖς παῖς ἀπὸ ἐτῶν ιδ' μέχρι καὶ κ' » Glossæ Herodoti, ed. Schweighæuser, p. 357.

(2) Titulus smyrnæus, *Corp. inscr. græc.*, n° 3326.

« ἄρτι γὰρ εὐμόχθου ἐπὶ γυμνάδος ἁγνὸν ἐφήβου
σχῆμα λαχὼν ἐρατὰν ὤλεσαν ἁλικίαν
ἄρτι δ'ἀριθμὸν ἐτῶν ἓξ καὶ δέκα τερπνὸς ἀμείβων... »

(3) Quæ fuerint, in Attica, hujuscemodi tabulæ, plane notum est. Attici enim juvenes in tres tabulas inscribebantur; quarum una in Prytanæo servabatur; alia (ἀπολογισμὸς τῶν ἐφήβων) a cosmeta apud Senatum, exacto

babat. An ingenuus, an liberis patre et matre oriundus esset, necne, judices delecti accuratissime perspiciebant. Quanto enim studio operam dederint Græci ne quis peregrinus, aut infamis originis labe inquinatus civica jura fraude usurparet, conjectare nobis licet ex ipsis formulis, quæ juvenes inter ephebos inscriptos fuisse memorant; quas accurate inspicere, operæ profecto pretium erit. Formulam δοκιμασίας in nonnullis collegiis fuisse usurpatam, tituli nos docent; et quum pauci videlicet tituli ad ephebiam spectantes servati sint, plus quam in quinque civitatibus hunc morem in usum venisse opinari fas est. Ii sunt lapides qui formulam δοκιμασίας præbent (1).

1° Megara : ἔφηβοι οἵδε ἐνεκρίθησαν (Vide Le Bas et Foucart, 34 c., linea 5, et 34 e, l. 5).

2° Stratonicea : ἐὰν δέ τινες... ἐνκριθῶσιν ἰς τοὺς ἐφήβους... (Le Bas et Waddington, nos 519, 520).

3° Locris. Naryce. Ephebi statuam dicant gymnasiarcho, quo magistratum gerente, inter ephebos fuerunt annumerati. Memoriæ et gratiæ causa, gymnasiarchum honoribus augent. In basi statuæ legitur : ... οἱ ἐνκριθέντες ὑπ' αὐτοῦ.

anno, deferebatur; tertia (ἀναγραφὴ τῶν ἐφήβων), in Agora exposita nomina epheborum memorabat. Si formulam exteræ ephebiæ : « ... Ἐτοῦς... γυμνασιαρχοῦντος τοῦ δεῖνα,... ἐφηβαρχοῦντος τοῦ δεῖνα... ἐφήβευσαν... » attendimus, procul a dubio videbitur similes mores in ceteris Græciæ civitatibus invaluisse.

(1) Sæpe in titulis nulla δοκιμασίας mentio facta est. Vide *Corpus inscr. græc.*, n° 3665, 10; n° 2401, 6.

οἵδε ἐφήβευσαν.

In titulo platæensi reperitur formula sequens :

ἠφήβευσαν οἱ ὑπογεγραμμένοι.

Keil, *Zur Sylloge Inscr. Bœoticarum*, p. 54, n° VII b. Cf. pro ephebia Celetri; ita enim incipit epheborum catalogus : ἔφηβοι οἱ ὑπογεγραμμένοι. Vid. L. Duchesne, *Mission au mont Athos*, n° 134.

4° Pergamus : οἱ ἐνκριθέντες ἔφηβοι (Vide Curtius, *Beitræge zur Geschichte und Topographie Kleinasiens*, p. 63, tabula VII).

5. Icaria insula : οἱ ἐνκριθέντες εἰς τοὺς ἐφήβους (Vide Appendicem, n° 2).

Quo autem modo perageretur hæc δοκιμασία, e titulorum megarensium testimonio comperimus; neque a veritate abhorrere videmur, si eumdem morem in civitatibus supradictis invaluisse judicemus. Tribunal, quod juvenes in ephebicas tabulas inscribi curabat, ex tribus viris, Megaræ saltem, constitisse apparet (1). Qui γραμματεὺς τῶν συνέδρων vocatur, scriba est consilii; hic enim nonnulla officia retinebat ex iis quæ quondam gerebat scriba populi et senatus (γραμματεὺς τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς); qui magistratus fortunæ vicibus obsoletus perierat. Alius veluti δικαστής denominatur, videlicet judex. Tertius fuit gymnasiarchus, qui gymnasium dictum *Olympieion* regebat (2). Gymnasiarchus autem, muneris sui causa, certe tribunalis præses exstitit; quod comperimus ex altero titulo (3), quo ephebi gymnasiarcho, tanquam gravissimo et ornatissimo judicum, statuam decernunt.

Civica adolescentium jura Megarenses accuratissime pensavisse videntur; et ex historicorum libris multa aut dicta aut facta depromere licet, quæ eos jura sua acriter semper defendisse confirmant; quod quum abs re alienum sit, supervacaneum erit explanare. Aliæ tamen fuerunt civitates, quæ aut juvenes peregrinos inter ephe-

(1) Vide Le Bas et Foucart, n° 34 e, l. 1.

(2) Vide Le Bas et Foucart, 34 e, l. 2, 3. *Olympieion* nomen significat gymnasium prope templum Jovis Olympii situm fuisse.

(3) Vide Le Bas, n° 1009.

bos populares adscribi permiserunt, aut saltem commoda quædam quum ephebis suis, tum vicinis, communia fecere (1). Ita, Prienæorum beneficio, copia facta est ephebis urbium vicinarum oleum in gymnasio accipiendi; quod quanti pretii æstimatum fuerit, sæpissime ex titulis comperire licet (2).

§ 2. — De tempore ephebiæ.

Hanc quæstionem, quod ad omnes civitates attinet, exsolvere haud ita facile est; de quo, ut nobis videtur, certius disseremus, si primum aggrediamur inquirere qua ætate e collegio ephebi exirent. Perspectis enim terminis quibus inclusum fuerit ephebiæ tempus, tum demum de ipso temporis tenore videbimus. Verisimile est vigesimo anno juvenes ex ephebia exiisse (3); talem enim in Attica morem usque ad finem macedonicæ ætatis viguisse Athenarum tituli demonstrant; attamen perlustrantibus nobis catalogos militares, in quibus ephebi exeuntes inscribebantur, certius argumentum occurrit. Militares enim tituli revera sunt epheborum exeuntium catalogi, quum juvenes, vix e collegio recentes, militiæ tirocinium capesserent, et inter varios exercitus ordines adscriberentur. Quas ex iis notiones colligere liceat, jam deinceps investigare prosequimur.

In urbe Thouria (4), juvenes quidam ab ephebis sane dissimiles, τριτίρενες videlicet nomine, in peculiari cata-

(1) « ... τοὺς ἐφηβευκότας τῶν παροίκων. » *Corpus inscr. græc.*, n° 2906.

(2) Vide Le Bas et Foucart, n° 1602. Cf. n°ˢ 120, 121.

(3) Id enim inferre licet ex nonnullis scriptorum locis. Vide Stobæi *Florilegium*, vol. 3, p. 297 : « ἐξ ἐφήβων ἐστί, καὶ ἤδη εἴκοσιν ἐτῶν. »

(4) Le Bas et Foucart, n° 302.

logo designantur. Tributim divisi sunt, quod nequaquam cum ephebiæ moribus congruit; nempe epheborum nomina sine ulla divisione inscribuntur (1). Τριτίρενες autem juvenes ii sunt, qui tertium jam annum degunt, ex quo ab ephebia in classem sequentem transierunt, scilicet ex quo εἴρενες facti sunt. Plutarchus nos monet eos viginti annos esse natos (2); ceterum ex alio testimonio comperimus juvenes hujus classis in pugna apud Platæas arma gessisse (3). Inde non alienum erit a veritate suspicari juvenes, quod ad urbem Thouriam spectat, vigesimo anno ex ephebia decessisse; præsto sunt quoque tituli Lebadeæ reperti, qui eumdem morem in ceteris Bœotiæ civitatibus invaluisse confirment (4). Ibi enim, ephebi exeuntes inscribuntur inter ϝικατιϝέτιες, scilicet inter juvenes viginti annos natos. Ergo, vicesimo anno, juvenis, peracto ephebiæ tempore, civica jura usurpat; et primum est inceptæ publicæ vitæ testimonium, quod in tabulas militares nomen ejus exaratur.

Si supradicta de ephebiæ conditionibus repetamus (5), facile erit concludere ephebum in collegio biennium mansisse. Per triennium etiam producitur nonnunquam ephebiæ tempus, quod constat ex insigni titulo insulæ Chii (6). Ephebi enim, pro cujusque ætate, in tres

(1) Vide Le Bas, nº 301.

(2) « Εἴρενας δὲ καλοῦσι τοὺς ἔτος ἤδη δεύτερον ἐκ παίδων γεγονότας, μελλείρενας δὲ τῶν παίδων τοὺς πρεσβυτάτους. Οὗτος οὖν ὁ εἴρην εἴκοσι ἔτη γεγονώς... » (Vita Lycurgi, 17).

(3) Herodotus, IX, 86. Qui primo anno post ephebiæ exitum, dicebantur πρωτεῖραι. Vide Photius, Lexicon, p. 140, 21 : « οἱ περὶ εἴκοσι ἔτη παρὰ Λάκωσι. »

(4) Keil, *Sylloge Inscr. bœoticarum* et *Zur Sylloge Inscr. bœotic.*, p. 550 b.

(5) Vide caput I, § 1.

(6) *Corpus inscr. græc.*, nº 2214.

classes discernuntur, quæ tribus annis respondent; ita interpretari decet nomina quæ in lapide leguntur : ἔφηϐοι νεώτεροι, — μέσοι, — πρεσϐύτεροι. Sed prout temporum varietate civitatum leges et status mutata sunt, similes vices atque attica, extera ephebia passa est; docent enim attici tituli ad unum annum, romanæ dominationis ætate, redactum fuisse ephebiæ tempus.

Talem morem prævaluisse comperimus in collegio cyziceno, quod attico mire consimile exstitit. Quum ephebi unum tantum annum publicæ disciplinæ beneficio fruerentur, nonnullis licuit alterum annum in collegio peragere. In titulo quodam cyziceno (1), ephebus qui vocatur Ἰούλιος Λόλλιος Ἰγνάτιος in fronte tabulæ inscriptus est, et post nomen ejus formula β̄ ἔφηϐος monet juvenem ephebiæ tempus iterasse (2). Adolescens bis ephebus ante sodales, post ephebarchum et hypephebarchum, magistratus scilicet collegii, designatur. Usum iterandi ephebiæ tempus neque in ceteris collegiis deprehendimus, neque attici tituli commemorant; sed alias etiam exstitisse, quoties ephebiæ tempus ad unum annum redactum est, existimare non plane refugimus.

§ 3. — De formulis exeundi ex ephebia.

Non solum ephebia vitæ civilis quædam exercitatio

(1) *Corpus inscr. græc.*, n° 3665, l. 11.

(2) Bœckh animadvertit litteram illam β̄ non nomini, sed verbo ἔφηϐος arctissime cohærere; neque fas esse eam interpretari eodem modo quo infra, in titulo de quo nunc disputatur (n° 3665. l. 20, 30, 45, 48, secunda columna). Ibi enim littera β̄ et verbum τρίς, epheborum nominibus admota, monent juvenes idem nomen ac patrem habuisse; lapicida litteram β̄ vel numerum τρίς inscripsit, ne bis idem nomen exarare cogeretur.

fuit; immo ad hoc pertinebat ut juvenis, militari disciplina imbutus, militiæ non jam umbratilibus studiis, sed in castris, assuesceret. Adolescens, ut primum ex ephebia decesserat, inter ordines exercitus inscriptus, arma gerebat. Nec supervacaneum erit inscriptionis formulas inspicere, et quatenus pro quaque civitate fuerint variatæ, indagare.

Atque hoc primum animadvertendum est, inde difficultatem exoriri, quod ineundæ militiæ tempus ubique non idem exstitit. Quum tituli, tum scriptorum testimonia nos docent Athenis per duo et quadraginta annos continuatum fuisse militiæ tempus; duobus autem prioribus hujus spatii annis, Atheniensis erat ephebus (1). Spartæ contra (2), quam primum ab adolescentia, militia incipiebat. Haud facile esset, pro omnibus civitatibus, hunc quæstionis nodum exsolvere. Quare, ut rem finibus certis concludamus, hoc tantum nobis placet attingere : quomodo, peracto ephebiæ tempore, juvenes in exercitum reciperentur.

Prorsus novimus formulas quæ Ægosthene et Megaræ in usum adhibitæ sunt. In lapidibus enim ægosthenitanis, hæc formula, ante nominum seriem inscripta, nihil aliud monet, nisi juvenes ex epheborum ordinibus decessisse :

τοίδε ἐξ ἐφήβων (3).

Qui nuperrime titulos Ægosthenis illustravit, v. cl. Foucart animadvertit verbum τοίδε bœoticam dialectum

(1) Vide Dumont, op. laud., p. 21-22.

(2) Xenophon, *Hellenica*, III, 4, 23 : οἱ τὰ δέκα ἀφ'ἥβης. Cf. quid de Chii ephebia disseruerit Bœckh, *Corpus inscr. græc.*, t. II, p. 201.

(3) Le Bas et Foucart, nos 3, 6, 8, 9, 10, 11.

redolere; unde infert Ægosthenis tabulas e catalogo militari civitatis Onchesti esse desumptas. Nempe, quo tempore illi lapides scripti sunt, civitates Megaridis ad Bœotorum societatem accesserunt, et quasi συντελεῖς bœoticæ cuidam civitati, Onchesto scilicet, adjunctæ fuerunt. Militarem autem copiam, pro sua parte, societatis exercitui suppeditant. Quum, fœderis causa, harum civitatum instituta mutata sint, tum ipsa epheborum collegia quasdam vices passa sunt; nam ægosthenitani ephebi, militia functuri, non jam in patria civitate nomen suum dant, sed, bœoti milites facti, in Onchesti catalogum inscribuntur. Cur ita fieri asseveremus, certum indicem deprehendere licet ex eo, quod semper in titulis Ægosthenis, archon eponymus Onchesti prope archontem civitatis peculiarem designatur.

Eadem pæne fuit Megaræ atque Ægosthenis exeundi formula; nempe ante megarensium epheborum nomina, legere queas : τοίδε ἀπῆλθον ἐξ ἐφηβων εἰς τὰ τάγματα (1). Similis in utraque civitate formula, et itidem mentio archontis eponymi onchestani, haud disputandis testimoniis confirmant ephebos megarenses, pari conditione, inter milites bœotos inscriptos fuisse. Attamen abs re non erit animadvertere bœotos magistratus nequaquam leges et instituta ephebiæ attigisse, neque ullum munus in regendo collegio usurpasse. Nihil enim aliud curant, nisi quæ ad exeuntes ephebos pertinent; neque usquam videmus magistratus Onchesti vel megarenses vel ægosthenitanos juvenes in collegium intrantes juris sui fecisse. Eo etiam tempore, quo civitates Megaridis, fœde-

(1) Le Bas et Foucart, 34 a, 34 b.

ris necessitate coactæ, patrias leges deserunt, municipalia officia, curam scilicet et regimen ephoborum, alienis et exteris magistratibus tractanda permittere recusant; mutatis ceteris legibus ad bœoticarum civitatum imitationem, integra et intemerata manent ephebica instituta; neque certiore argumento comprobari potest civitates græcas, vel in deterius lapsas, educandam juventutem acerrima diligentia sibimetipsis semper vindicavisse.

Non omnino inter se congruunt Megaræ et Ægosthene exeundi formulæ. Ægosthenitana enim formula, τοίδε ἐξ ἐφήϐων (1), ephebos exiisse solummodo commemorat. Megaræ autem titulus ephebos inter exercitus ordines, scilicet εἰς τὰ τάγματα (2), inscriptos fuisse denuntiat. Ægosthene tamen formulam reperimus, de qua paulo longius disputare haud inutile erit; nempe a ceteris ejusdem civitatis et Megaræ formulis discrepat. Ephebi inter peltophoros adscribuntur : ἐξ ἐφήϐων ἐμ πελτοφόρας ἀπεγράψατο vel ἀπεγραψάνθο (3). Verisimile est copiarum genus tum demum in catalogo designatum fuisse, quum de genere quodam speciali, scilicet de peltophoris, ageretur. Quoties in catalogo copiarum genus non significatur, asseverare licet ephebos ægosthenitanos, megarensium instar, inter τὰ τάγματα annumerari; quod ex similitudine quam inter collegia utriusque civitatis deprehendimus, conjectare non displicet. Ceterum formula quæ in aliis titulis bœoticis occurrit, testatur eumdem morem apud Bœotos invaluisse.

(1) Le Bas et Foucart, nos 3, 6, 8, 9, 10, 11.

(2) « ... τοίδε ἀπῆλθον ἐξ ἐφήϐων εἰς τὰ τάγματα... » Le Bas et Foucart, n° 34 a, 34 b.

(3) Ibid., n. 4, 5, 7 a.

Thespiæ : ἀπεληλυθόντες ἐς τῶν ἐφήϐων εἰς τάγμα (1).

a. Keil : *Zur Sylloge Inscr. Bœoticarum*, n. XXXV, p. 546. Le Bas : n. 491.

b. Keil : ibid., n. XXXIV, p. 542. Le Bas : n. 492, p. 104. Rangabé : *Antiquités helléniques*, n. 705, p. 301.

Copæ : τοίδε ἀπεγράψαντο ἐν ὁπλίταις, *Corpus inscr. græc.*, n. 1574.

Τοὶ vel τυὶ ἀπεγράψανθο ἐμ πελτοφόρας. Keil, ibid., n. XXXVI b.

Rangabé, ibid., n. 1315, p. 834. Le Bas, n. 600, p. 131. Similis formula legitur in nonnullis titulis repertis prope villulam quæ vocatur *Metokhi*, apud Dendram, haud ita longe a Coparum situ. Quos publici juris nuper fecit Koumanoudis, in ephemeride atheniensi dicta Ἀθήναιον (2).

Ex illis argumentis collatis, apparet quotannis, apud Bœotos, epheborum quasi annuum proventum inter τὰ τάγματα (3) et πελτοφόρας fuisse partitum; ibi juvenes, sive hoplitarum sive militum levioris armaturæ ordinibus annumerati, militiæ tempus peragebant. Eumdem

(1) De forma ΟΝΤΕΣ, vide *Corp. inscr. græc.*, n° 2189 et n° 3486. Cf. Ahrens, *De dialecto æolica*, p. 148. Pindarus, *Pythicas*, V, 179, 183; IV. De forma ἐς pro ἐκ, vide Ahrens, loc. cit., p. 213.

(2) Ἀθήναιον, 1873. ἔτος A, vol. I, n°s 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Ἐπιγραφαὶ Λοκρίδος καὶ Βοιωτίας ἀνέκδοται. In illis titulis, formula de qua agitur quater repetitur.

(3) Bœoticum τάγμα et attica τάξις idem valebant (Vide Schœmann, *Griech. Alterthum*, I, p. 424. Militaris τάξις ab ephebica accuratissime distinguenda est). Keil autem (*Zur Sylloge Inscr. bœotic.*, p. 542) existimat ephebum bœotum in agmine inscribi pari modo quo atticus, ephebiæ tempore, biennium tanquam περίπολος militiam disceret. Nequaquam huic opinioni assentire valemus. Nempe ephebus bœotus vigesimum jam annum degit, quum in exercitum venit, neque, ephebi attici instar, militiam discit tuendo patriæ fines, sed in castris exercet.

morem apud Megarenses et Ægosthenitanos viguisse, procul a dubio sane videbitur. Qua ratione, et quas ob causas ephebi in varia copiarum genera distributi fuerint, non satis liquet, neque conjicere confidemus eos, honoris causa, inter hoplitas esse adscriptos.

De formulis ceterarum civitatum non ita copiose disseremus. Nihil enim aliud demonstrant, nisi ephebos inscribi inter juvenes natos viginti annos, aut primum arma gerere.

Thouria. Ephebi designantur nomine peculiari; dicuntur esse τριτίρενες (Le Bas et Foucart, n. 302).

Lebadea. Ephebi inscribuntur inter juvenes vicesimum annum degentes, scilicet ϜικατιϜέτιες, et militiam incipiunt : ϜικατιϜέτιες ἀπεγράψανθο.

a. *Corpus inscr. græc.*, n. 1575.

Le Bas et Foucart, n. 765 b, p. 46.

b. Keil, *Zur Sylloge*, etc., p. 550 b.

Rangabé, *Antiquités helléniques*, n. 1309 b, p. 831. Le Bas, n. 765 a, p. 159.

Orchomenos.

Τυὶ πρᾶτον ἐστροτευάθη.

a. Keil, *Zur Sylloge*, etc., p. 361.

Rangabé, n. 1306, p. 830.

b. Keil, ibid., XXXVIII b, p. 569.

Pittakis : Ἐφημερὶς Ἀρχαιολογική, n. 819.

Rangabé, n. 1305, p. 829.

Titulus naxius fortasse ephebos exeuntes denuntiat; sed ita læsus ad nos pervenit, ut nihil certi ex illo depromere liceat [τῶν ἐ]φήβ[ων... (1). Spartæ denique,

(1) *Corpus inscr. græc.*, n° 2416.

juvenis, peracto ephebiæ tempore, nomine quodam designatur, quod nullo modo cum militaribus officiis congruit. Cur σφαιρεύς (1) vocatus sit, certe perspicimus e gymnasticis studiis; nempe sæpissime σφαίρᾳ ludentes viros in picturis vascularibus deprehendimus (2). Σφαιρεύς enim dicitur ephebus qui inter viros annumeratus, jam studiis et ludis maturioris ætatis indulget.

Si formulas decedendi ex ephebia recensemus, lucramur profecto omnes ad ineunda militiæ officia pertinere. Magni autem momenti est reputare titulos ea ætate fuisse scriptos, qua Græcia nondum romanæ ditioni subjecta, ab antiquo ingenio haud admodum degeneraverat (3). Unde aliquid depromere valemus, ut ephebiæ effigiem, qualis antiquitus fuerit, describamus. Liberis enim ac prosperis Græciæ temporibus, militare collegium præcipue ephebia esse videtur. Juvenes informantur ut publica jura discant, et officia capessant; quod autem gravius officium reperiri potest, quam militia ? Quid majore cura a civitate providendum, nisi ut inter exercitus ordines recipiantur juvenes veram civis imaginem referentes, armis assueti, rerum bellicarum assidua exercitatione periti, idonei denique, ut jurisjurandi attici verba usurpem, qui « soli vel cum aliis deos et focos defen- » dant, et patriam non deminutam, sed auctam et va-

(1) [Οἱ σφαιρεῖς] οἱ δέ εἰσιν οἱ ἐκ τῶν ἐφήβων ἐς ἄνδρας ἀρχόμενοι συντελεῖν. » Pausanias, III, 14, 6.

(2) Vide Heydemann, *Die Vasensammlung des Museo nazionale zu Neapel*, n° 2872. Picta leguntur sequentia verba : χτησαν [κτησαν] μοι ταν σφιραν [σφαιραν]. Cf. de Witte, *Memorie dell' Instituto*, II, 112.

(3) Vide quod supra disseruimus de ætate titulorum megarensium et bœoticorum. *Caput primum.*

» lentem, qualem acceperint, relinquant (1)...? » Vergentibus autem sæculis, quum græcæ civitates ad servitutem delapsæ, fictitiæ tantum libertatis nomen jactant et ementiuntur, fictitia et ipsa evadunt civica officia. Militaris exercitatio ad ostentationem, non ad usum accommodatur; et sicut obsoleta esse comperimus in attico collegio studia militaria, sic in peregrina ephebia, non ineundæ militiæ, sed exercendi corporis causa retinentur. Nihil enim superest cur juvenes in castris obdurent, et vacui sunt exercitus ordines.

Quæ ex titulis deprompsimus documenta, præsertim ad collegia Messeniæ, Laconiæ, et Bœotiæ pertinent. De ceteris civitatibus, nihil ferme nos docent lapides. Verumtamen, quum nonnulla collegia, præcipue Cyzicenum, Chium, et Teium, aliquid ex atticis moribus sibi detraxisse videantur, licet inde inferre non dissimiles ab atticis leges, quod ad exitum ex ephebia spectat, supradictas civitates usurpasse (2).

Quam similitudinem uberius exponere, ab hujusce commentationis proposito nimium abhorreret; neque gratum esset nobis pervulgata ab aliis, summa quidem diligentia, repetere. Hoc tantum suscepimus, quæ propria exstarent exterorum collegiorum instituta, et quatenus, pro cujusque civitatis ingenio, quasi peculiari signo discreta fuerint, illustrare.

(1) « ... Ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ [ὑπὲρ] ὁσίων καὶ μόνος καὶ μετὰ πολλῶν· τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάττω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ ἀρείω. ὅσην ἂν παραδέξωμαι. » Stobæus, XLIII, 48. Pollux, VIII, p. 105. Lycurgus : *C. Leocr.*, § 77.

(2) Vide Dumont, op. laud., ch. III, § 1, *Les lois éphébiques*.

CAPUT TERTIUM

DE MAGISTRATIBUS ET MINISTRIS EPHEBICIS, ET DE TITULIS QUOS, HONORIS CAUSA, EPHEBI SIBIMETIPSIS VINDICABANT.

§ 1. — Qui magistratus vel ministri attico et exteris collegiis communes fuerint.

Non per se ipsam respublica collegii res administrat; sed partes aliquas viris delectis agendas committit Duplex est autem genus virorum qui in regenda ephebia versantur : magistratus enim et ministros e titulorum testimonio comperimus exstitisse. Illi, ab ipsa civitate, gravi munere decorati, primas agunt; hi, magistratuum auctoritati subditi, juvenes erudiunt et informant. Alio apud alios vocabulo designatur primus collegii magistratus; sive autem cosmeta, ut apud Atticos, sive ephebarchus vel gymnasiarchus, ut apud ceteras civitates, dicatur, uno eodemque munere fungitur. Collegii enim res curare, ephebos in cærimoniis ducere, exercitationes inspicere, mores moderari, rationes apud senatum populumque reddere, ibi usque interesse, ubi de collegii commodis et utilitate agitur, talia sunt magistratus officia : nempe ἀρχήν, ut uno verbo rem definiam, summus ephebiæ præses exercet. Quare perspicuum est nonnisi viris longo jam honorum cursu probatis hoc splendidum munus ci-

vitatem mandasse; neque mirum erit si quandoque ephebiæ moderatorem sacerdotio quodam nobilitatum fuisse deprehendimus.

Ministros autem minores numero atque in attica ephebia exstitisse confirmant lapides. Recte enim opinaberis nullam civitatem opibus satis florentem et pecunia abundantem fuisse, quæ Athenis æmulari, paribusque sumptibus epheborum collegium instaurare valuerit.

De magistratibus et ministris disputare aggressi, quum nonnulla adhuc incerta hæreant, et tenuia ex titulis suppetant documenta, suscepimus inquirere :

1° Quid de magistratibus ephebicis cum attica et extera ephebia communibus commentari queamus;

2° Quinam fuerint, in quaque civitate, peculiares magistratus vel ministri.

Ephebicorum magistratuum nomina et officia singillatim cognoscendi amplissimam nobis copiam faciunt inscriptiones atticæ. Quæ commemorare juvabit, quo facilius indagemus quatenus in ephebia extera reperiantur. Ii sunt enim magistratus et ministri qui usque ad romanæ dominationis tempora, partes aliquas in attico collegio agunt.

κοσμητής
παιδοτρίβης
ὁπλομάχος
ἀκοντιστής
τοξότης
ἀφέτης
καταπαλταφέτης
γραμματεύς
ὑπερέτης

Sequenti autem ætate, alios quoque offendimus.

ὑποπαιδοτρίϐης
ἀντικοσμήτης
ὑπογραμματεύς
ἀντιγραμματεύς
ἡγεμών
κεστροφύλαξ
διδάσκαλος
λεντιάριος
προστάτης
θυρωρός
ὑποζάκορος
καψάριος
ἰατρός

Haud ita certam magistratuum et ministrorum seriem exteri tituli præbent, neque asseremus extra Atticam e tot personis collegia constitisse. Nihil ergo aliud agemus, quam dispersa huc illuc testimonia colligere.

Παιδοτριϐής (Vide *Corpus inscr. græc.*, n° 3644. Ilium. Ibid. n° 3620). Pædotribam lampsacenum simul cum agonotheta denuntiat titulus dicatus ab adolescente quodam, qui victoriam in lùdis puerorum reportavit. Simili modo in lapide iliaco nominatur.

De pædotribæ attici officiis multum disceptatum est, quem nonnulli rei gymnasticæ præceptorem esse voluerunt (1). Constat autem eum non proprie ephebos exercuisse, sed ceteris magistris, quasi moderatorem, præfuisse, et res collegii non per ùnum annum, cosmetæ

(1) Vide Dittenberger, *De ephebis atticis*, p. 34. Aliter de pædotribæ officiis censet A. Dumont, *Essai sur l'éphébie attique*, p. 177 seq.

instar, sed per longum temporis tenorem curavisse. Pædotribæ nomen et munus in peregrina ephebia idem valere atque in attica, non profitebimur. Quum extera collegia pauciores sane ministros numeraverint, suspicari nobis placet ipsum pædotribam rem gymnasticam ephebos docuisse. Adde quod extra ephebiam pædotribæ exstiterunt, qui, revera magistri palæstræ, pueros instituebant. Ita παιδοτρίϐης puerorum fuisse potest hic noster lampsacenus minister, quem supra memoravimus.

Διδάσκαλος. Hunc designat titulus Laconiæ, cujus lectio non claret (1). Legit enim Fourmont — ΣΚΑΛΟΙΑΙ////////; Leake autem ////////ΙΣΚΑΛΟΙΑΛΕ////////; quam lineam omisit Le Bas. Ex indicibus adeo obscuris, haud licet asserere διδάσκαλον Spartæ inter magistratus ephebicos locum obtinuisse. Conjicere valemus Spartanos hunc magistratum instituisse romanæ dominationis tempore, quum antiqua Lycurgi de educandis pueris instituta, jam obsoleta, repetere studerent. Ita διδάσκαλος haud dissimilis fuisset ab illis præceptoribus qui pueros leges et instituta Lycurgi docebant, scilicet ἐξηγηταὶ τῶν Λυκουργείων (2) vel σύνδικοι ἐπὶ τὰ Λυκούργεια ἔθη (3). Aliunde etiam novimus διδάσκαλον, cujus mentio facta est in titulo apud Byblum reperto (4). Quid quod titulus funebris pictus in lapide, nuperrime apud Berytum inventus (5) memorat virum quemdam quasi παιδεύσαντα ἐφήϐους?

(1) Le Bas, part. II, n° 176.

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 1364 b.

(3) *Corpus inscr. græc.*, n° 1342, l. 11, 12.

(4) Σαραπίωνος διδασκάλου ἐφήϐων. Renan, *Mission de Phénicie*, p. 184. *Campagne de Byblos*.

(5) G. Perrot, *Revue archéologique*, 1877 (janvier). *Inscriptions d'Asie Mineure et de Syrie*, n° 9.

Ceterum, ne διδασκάλου officia definire nimia diligentia conemur, nos monet atticæ ephebiæ exemplum. Hoc enim vocabulo apud Athenienses nonnunquam, ante christianam ætatem, designantur certi ephebiæ magistri, quibus peculiaria nomina adscribuntur : hoplomachus scilicet, pædotriba, et alii præceptores. Quare in ephebia peregrina fieri potuit ut quivis magister, nulla officii ejus ratione habita, licentia quadam verborum tali nomine significaretur.

Γραμματεύς. Mentio γραμματέως τῶν ἐφήβων facta est in titulo pergameno (1).

Ἡγεμών. Alter titulus pergamenus eum designat : qui ephebos in sollennibus pompis ducendi officium obtinuisse videtur (2).

Breviter descripsimus qui ministri ex titulis noti sint. Fatemur in hac serie non contineri omnes qui in collegiis sive attico sive exteris eadem nomina et munera habuerunt. Liceat autem conjicere plures etiam exstitisse in civitatibus græcis, prout quæque, epheborum res et disciplinas instituendo, aliquid ex atticis moribus adsciverit. Hoplomachum enim, et magistrum rei gymnasticæ, et illum qui sagittas mittendas ephebos docebat, etsi peregrini tituli non denuntiant, tamen nemo erit qui supradictis præceptoribus annumerare dubitet.

Magistros tantummodo hucusque recensuimus ; de magistratibus autem posterius videbimus, quippe qui nihil cum Attica commune, quod ad nomen pertinet, habuerint. Ex iis contra quæ disseruimus, facile intelli-

(1) Vide Curtius, *Beiträge zur Geschichte und Topographie Kleinasiens*, p. 63, et tabula VII, lin. 5, 6.

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 3538.

getur quid valeat vocabulum παιδευταί, quod in titulo Elaiæ (1) offendimus, una cum populi et epheborum mentione. Ita enim non hic aut ille magister, sed omnes qui instituendis ephebis curam dabant, significantur. Quos non modo in collegio versatos fuisse, quatenus cujusque officium explendum rogabat, sed etiam veluti ephebiæ aggregatos, sacrorum, cærimoniarum, et laudum participes fuisse, titulus noster tenui quamvis testimonio satis clare confirmat. In corona enim nomina eorum inscripta sunt; et a populo, haud secus atque ephebi, laudibus ornati fuerunt.

§ 2. — De peculiaribus quibusdam magistratibus.

Nunc ad magistratus et ministros venimus, qui aut non designantur atticis titulis, aut in ephebia extera munera dissimilia atque in attica gessisse videntur. Veterum scriptorum auctoritate freti, in collegio laconico magistratus deprehendimus, non aliunde notos : ii sunt βίδυοι vel βίδεοι (2). Numero quinque, ephororum instar, si Pausaniæ fidem adhibemus, exstiterunt (3). Qui ephebos lacones curant, et inspiciunt, dum in *Platanista*, loco scilicet platanis circumdato, gymnasticis studiis indulgent. Honoris causa tale munus obtinuisse bidæos

(1) Appendix, nº 2.

(2) Utraque forma reperitur in titulis. Vide *Corpus inscr. græc.*, nº 1241, col. III, l. 18, legitur βίδεος. Cf. Ibid., 1255, 1256, l. 15, 1258, etc. Βίδυος autem occurrit in titulis sequentibus. *Corpus inscr. græc.*, nºs 1254, 1270, 1271, etc.

(3) « Τοῖς δὲ ἐφόροις καὶ βιδιαίοις πέντε ἀριθμὸν ἑκατέροις οὖσι, τοῖς μὲν τοὺς ἐπὶ τῷ Πλατανιστᾷ καλουμένῳ καὶ ἄλλους τῶν ἐφήβων ἀγῶνας τιθέναι καθεστήκεν. » Pausanias, III, XI, 2. Confer tamen titulos 1270 et 1271 (*Corpus inscr. græc.*) ubi sex βίδεοι nominantur.

judicamus e lapidibus quibus honorum series describitur; sæpissime enim, quum virum quemdam amplissimis muneribus ornatum esse tituli commemorant, ultimo loco designatur βιδέου officium (1). Quod mûnus collatum fuisse viris jam matura ætate et longo vitæ honestæ curriculo probatis, procul a dubio plane videtur.

Non solum ad ephebicas res pertinebant bidæi officia; nempe videmus eos Spartæ adscriptos esse magistratibus collegii sacri, quod in honorem Dioscurorum et Helenæ convenit (2). In urbe Thalamis (3) necnon similes partes agunt. De bidæorum officiis, certius argumentum præbet titulus laconicus exaratus videlicet in basi monumenti, quod Nicopolitani ob victoriam ludis reportatam exstruxerunt (4). Quum sæpius bidæi munera ad epheborum res minime pertinentia exerceant, clarius apparet quid in ephebia gesserint. Nempe epheborum exercitationes, et præcipue gymnastica studia, quasi præsides honoratissimi, inspiciebant, et justum ordinem, atque illam modestiam quam Græci εὐταξίαν dixere, observari summa diligentia curabant. Ceterum alium reperimus magistratum qui, nostra quidem sententia, bidæorum officia, similitudine quadam, intelligendi nobis copiam facit. Titulus enim rhodius (5) memorat

(1) Vide titulum a Bœckh editum (*Corpus inscr. græc.*, n° 1254) in quo Damocratidæ munera enumerantur, quippe qui fuerit νομοφύλαξ, γέρων, ἔφορος, denique βίδυος.

(2) Vide Le Bas, part. II, n° 163 a. Cf. Keil, *Zwei griech. Inschriften aus Sparta und Gytheion.*

(3) Le Bas, n° 281 b.

(4) Le Bas, n° 180.

(5) Foucart, *Inscriptions inédites de l'île de Rhodes. Revue archéologique*, 1867, n° 1.

virum qui, postquam militia haud inhoneste functus est, ἐπιστάτης τῶν παίδων evasit. Supra ceteros gymnasii magistros positus, pueros curat, et operam dat ne quid insolenter aut extra numerum modumque agatur. Si civitatis doricam originem attendamus, non mirum videbitur Rhodios in instituendo juventutis disciplinam aliquid e laconicis moribus deprompsisse; neque infitiandum erit βιδέους in epheborum collegio, et ἐπιστάτας in gymnasio eadem pæne munera exercuisse.

Παλαιστροφύλαξ. Hoc nomen ceteris adscripsi, licet humiliorem ministrum significasse videatur (1). Quod titulos atticos sciscitanti, nusquam occurrit. Ideo dictis a Dittenberger plane assentimus, qui hunc ministrum ephebiæ exteræ peculiarem fuisse arbitratur (2).

Γυμνασίαρχος. Gymnasiarchi munera cum epheborum rebus congruere, procul a dubio est. De quo magistratu, etsi copiose a recentioribus est disputatum (3), non satis liquet quomodo definiantur in ephebia extera ejus officia; nam persæpe negligenter titulos atticos ab exteris docti viri sejunxerunt.

Duplex exstitisse gymnasiarchorum genus, romanæ saltem dominationis tempore, Bœckh existimat; unum epheborum, alterum puerorum (γυμνασίαρχος τῶν ἐφήβων; — τῶν παίδων) (4). Tituli autem attici qui anno 1860 in

(1) Titulus patarensis. Walpole, *Travels*, p. 542:

τόνδ' ὁ παλαιστροφύλαξ Ἀμμώνιος εἵσατο βωμόν...

(2) *De ephebis atticis*, p. 49. Servum etiam memorant ephebici Spartæ tituli, Le Bas et Foucart, n° 165, παιδισκίωρος. Cf. Hesychius, παιδικέως· ὁ ἐν τῷ γυμνασίῳ ὑπερέτης.

(3) Vide Krause, *Gymnastik und Agonistik der Hellenen*, p. 181 seq. Bœckh, *Corpus inscr. græc.*, ad n° 202. Dittenberger, *De ephebis atticis*, p. 40, § 4. Dumont, op. laud., p. 219 seq.

(4) Vide *Corpus inscr. græc.*, loc. cit.

lucem venerunt, comprobant a gymnasiarchia politica accurate distinguendam esse ephebicam; quam cosmetam, vel magistros collegii, vel ephebos suscepisse e titulis comperimus. Posteriore autem ætate, gymnasiarchi plerumque inter ephebos deligebantur (1). In peregrina contra ephebia, sæpissime gymnasiarchia ornatus est vir maturus, et ultra ephebicam ætatem longe provectus. Quomodo enim inter epheborum ordines delectus fuisset gymnasiarchus ille naxius, qui eodem tempore Tiberii sacerdos exstaret (2)? Præterea, gymnasiarchus eponymus est magistratus, quemadmodum docet formula nonnunquam in titulis usurpata : γυμνασιαρχοῦντος τοῦ δεῖνα (3). Gravia ejus officia, et juventutis levitati minime consentanea esse apparet; nempe acriter res epheborum tuetur et componit, et ephebos in tabulas inscribi curat (4). Denique e titulo quodam Tei lucramur gymnasiarchum ἀρχήν exercere (5), quo nullum certius argumentum reperiri licet, ut gymnasiarchum peregrinum ab attico plane differre comprobemus. Hic enim inter æquales honore ephebico ornatus est; ille munus, et insigne quidem, inter ceteros collegii magistros gerit. Facile tamen animadverteris non de rebus epheborum solummodo gym-

(2) Vide Dumont, op. laud, t. II, titulos LXII, LXXIV A, XCI, etc. Facile erit magnam titulorum copiam depromere.

(1) *Corpus inscr. Græc.*, nº 2416.

(2) Megara, Le Bas et Foucart, nº 34 e. Thouria, ibid., nº 301. Icaria insula, vide appendicem nostrum, nº 3, etc.

(3) Ἄρχουσι γὰρ [οἱ γυμνασίαρχοι] ἰσχυρῶς τῶν ἐφήβων, καὶ προσέχουσι τὸν νοῦν σφόδρα τοῖς ὑπ' αὐτῶν πραττομένοις. » Plutarchus, *Erotica*, 10, p. 755 a. Cf. O. Rayet, *Inscriptions de l'île de Kos*, nº 6, γυμνασιαρχήσαντα τῶν ἐφήβων ἐνδόξως καὶ ἐπιφάνως, etc. De inscriptione epheborum ad gymnasiarchum pertinente, vide Naryce (Locris, Le Bas, nº 1009.

(5) *Corpus inscr. græc.*, nº 3086, l. 2.

nasiarchum consuluisse, quippe qui omnia ad gymnasium pertinentia curaverit. Quicumque in gymnasiis sese exercent, ab eo coercentur. Sæpe juvenes (νέοι), ephebi, et omnes qui in partem exercitationum veniunt, communibus sumptibus gymnasiarcho coronas et statuas dedicant (1); unde intelligimus laudes, omnium consensu, non solum viro magistratum ephebicum exercenti, sed gymnasii moderatori et præsidi esse tributas. Pæne simile nomen in Macedonia gymnasii moderator habuit. Nempe titulus Celetri civitatis designat archontem gymnasii (ἄρχων τοῦ γυμνασίου) (2), magistratum scilicet eponymum, cujus munera cum officiis gymnasiarchi omnino congruunt.

Restat ut de magistratibus disseramus, qui nonnunquam in ephebia extera reperiuntur; de quibus non plane consentiunt docti homines, neque enim adhuc satis claret, utrum ephebis, an viris maturis, hæc munera fuerint attributa.

Ea sunt nomina quæ attingemus :

1° ἀρχέφηβος;

2° ἐφήβαρχος;

3° ὑπεφήβαρχος.

1° Titulus ἀρχέφηβος in binis Græciæ propriæ inscriptionibus occurrit (3). Qui tali munere auctus est ephebus, locum tenet in fronte catalogi, ante omnes sodales suos,

(1) Vide titulum Tei, *Corpus inscr. græc.*, n° 3085 : Οἱ ἔφηβοι, καὶ οἱ νέοι, καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ γυμνασίου... etc. Cf. Keil, *Zur Sylloge*, etc., XV a, XV (Orchomenus) ; *Corpus inscr. græc.*, n° 2461 (Thera) ; n° 3086 (Teos) ; Le Bas, n° 1009 (Naryce).

(2) L. Duchesne, op. laud., n° 134.

(3) Argos, Le Bas et Foucart, n° 119. *Corpus inscr. græc.*, n° 1121. Messenia : Corone, Le Bas et Foucart, n. 305, l. 10. Cf. Ἀθήναιον, 1875.

et post gymnasiarchum. Similem pæne titulum in attica ephebia deprehendimus, scilicet ἄρχων ἐφήβων; qui non magistratum quemdam, sed honorem primario epheborum collatum significare videtur. Quanti autem pretii factus sit, ex ipsis lapidibus comperimus; nempe juvat viros, amplissimis jam muneribus ornatos, hoc primo dignitatis gradu superbire, et juvenilem honorem cum ceteris maturæ ætatis ornamentis commemorare.

Mos ubique fere invaluit, ephebum quemdam quasi juventutis principem designare, sive quod juvenem familia nobilissima oriundum cives, ad blanditiam effusi, tali dignitate exornarent; sive quod ephebus quidam, ingenio præcellens, primum inter æquales locum jure mereretur. Quare si titulum Derriopi cum supradictis conferamus, verisimilis nobis suppeditat interpretatio vocabuli cujusdam, quod ante ephebi primi inscripti nomen exaratur. Dicitur enim ille esse πρωτοστάτης (1), quod idem valet atque ἄρχων ἐφήβων; princeps videlicet ephebiæ est, et gradus honoris manifesto quantus sit apparet, quod nomen ephebi πρωτοστάτου mentionem ephebarchi sequitur.

2° Sæpius etiam offendimus titulum ἐφήβαρχος, sed nusquam in lapidibus Græciæ propriæ; quod utrum casu an propter ignotam causam evenerit, haud facile est explanare. Quod ad præsens spectat, quum necesse sit rem adhuc dubiam accurate inspicere, in sequenti pagina notavimus inscriptiones publici juris factas, quæ ἐφήβαρχον designant.

(1) Πανδώρα, Augusti 1870. Titulum edidit Papadopoulos. Aliunde novimus προστάτην τοῦ κοινοῦ τῶν Ἀχαίων (Le Bas et Foucart, n° 305 : Ἀθήναιον, 1875, maii et augusti) qui cum ephebia nihil commune habet.

Cyzicus (*Monatsberichte der k. Preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin*, 1874. *Corpus inscr. græc.*, nos 3660, 3665).

Teos (*Corpus inscr. græc.*, nos 3085, 3086).

Icaria (vide appendicem, n° 3).

Pergamus (Curtius, *Beitræge zur Geschichte*, etc., p. 63).

Ephesus. Vide titulos nuperrime editos a Wood, *Discoveries at Ephesus*, 1877. Tituli in *Augusteo* reperti, n° 4. Confer insignem titulum dictum Salutarii, in Magno Theatro inventum, qui ephebarchum memorat (columna 5, linea 18, ὁ ἐφήβαρχος χωρὶς...). Qui locus tituli ita læsus est, ut nihil certi inde depromere valeas.

Sestos (*Hermès*, 1873).

Thessalonica (L. Duchesne, op. laud., n° 2).

Derriopos (Πανδώρα, Augusti, 1870).

Celetrum (*Corpus inscr. græc.*, n° 1957 g, et L. Duchesne, n° 134).

Edessa (L. Duchesne, ibid., n° 135, et *Corpus inscr. græc.*, n° 1997 c).

Rhodos (Ross, *Hellenica*, p. 67).

Lapethos (Le Bas, n° 2773).

Philadelphia (Le Bas et Waddington, nos 643 et 654).

Colossæ (Le Bas et Waddington, n° 1693 b).

Acmonia (*Corpus inscr. græc.*, n° 3858, et Le Bas et Waddington, n° 754).

De natura hujus muneris valde disputatum est. Aliis placuit ephebarchum esse epheborum principem, haud secus atque ἀρχέφηβον; aliis autem magistratum gymnasiarcho non dissimilem, et gymnasii præsidem. Huic vero opinioni minime assentimur; cur ab ea discedamus, copiam nobis faciunt varii tituli, qui eumdem virum

vicissim ephebarchum et gymnasiarchum exstitisse demonstrant (1). Diutius in hanc interpretationem refellendam commemorari, supervacaneum sane videbitur. Nunc disserendum est utrum titulus ἐφήϐαρχος idem valeat atque ἀρχέφηϐος, et honorem quemdam significet, an potius muneri peculiari respondeat. Magnam vim argumentorum suppeditat titulus Colossarum (2) supra notatus, quo *cursus honorum* viri cujusdam describitur. Vir noster ἐφήϐαρχος exstitit; sed muneris illius mentio non initio facta est, quemadmodum de ἀρχεφήϐῳ fieri solet; immo antea longa magistratuum series producitur, ita ut secundum sequentem ordinem honorum enumeratio disposita appareat : « στρατηγήσας, ἀγορανομήσας,... ήσας (3), βουλαρχήσας, γραμματέυσας, ταμιεύσας, ἐφηϐαρχήσας, εἰρηναρχήσας, νομοφυλακήσας ; » quod si ephebarchus fuisset ephebiæ tempore, quis est qui non videat hujus tituli mentionem primo certe loco inscribendam fuisse?

Ceterum alios etiam indices deprehendere in lapidibus licet, quorum testimonio freti, ephebarchum non epheborum principem, sed magistratum fuisse comprobemus. In titulo Tei civitatis (4), ephebi, juvenes (νέοι), et omnes qui in gymnasio exercentur, honores ephebarcho propter munia bene gesta decernunt (ἐφηϐαρχήσαντα καλῶς). Dicant scilicet quum coronas, tum statuas insignes, sive aureas, sive marmoreas. Tales certe honores minus mo-

(1) Vide titulum rhodium (Ross, loc. cit.); pergamenum (Curtius, loc. cit.), et quem, in Icaria insula repertum, ad calcem nostræ disputationis distulimus.

(2) Le Bas et Waddington, n° 1693 b.

(3) Hic magistratus qui fuerit, ex titulo læso non patet.

(4) *Corpus inscr. græc.*, n° 3085.

dum excessisse videbuntur, si non ephebo, sed viro, collegii scilicet magistratui, tribuantur (1). Denique, vel deficientibus lapidum testimoniis, ipsi antiqui scriptores denuntiant ephebarchum inter ceteros magistratus, una cum stratego et agonotheta, esse adscribendum (2). Adde quod ephebarchus eponymus est; cujus fidem facit formula : ἐφηϐαρχοῦντος τοῦ δεῖνα. Nusquam autem eponymum fuisse archephebum videmus. Quid quod ἀρχήν exercet magistratus de quo nunc disputamus? id enim constat ex lapide civitatis Philadelphiæ (3), cujus testimonii gratia, omnis tollitur dubitatio; nempe manifesto apparet verbum ἀρχή minime convenire titulo honorifico, nec laudem principi epheborum a sodalibus collatam, sed amplum ac grave munus significare.

Qualia fuerint ephebarchi officia, docet titulus quidam macedonicus : « ἀνέταξεν τοὺς ἐπ'αὐτῷ γενομένους ἐφήϐους (4). » Simili cura ephebos coercendi et modestiam justumque ordinem in collegio retinendi, apud Athenienses fungitur cosmeta. Quare, si attendamus nusquam in ephebia extera cosmetam nominari, non modo disputanda conjectura, sed quasi ipsa rerum ratione ephebarchum et cos-

(1) « Οἱ ἔφ[ή]ϐοι και οἱ νέοι καὶ οἱ μετέχοντες τοῦ γυμνασίου Αἰσχρίωνα Μελεάγρου. ἐφ[η]ϐαρχήσαντα καλῶς, στεφάνῳ χρυσῷ καὶ ε[ἰκ]όν[ι] γραπτῇ καὶ εἰκ[ό]νι γραπτῇ τελείᾳ καὶ εἰκόν[ι] χα[λκ]ῇ καὶ ἀγάλματι μαρμαρίνῳ καὶ εἰκόν]ι] χρυσῇ.., [ἐτείμησαν]. *Corpus inscr. græc.*, nº 3085. Confer illas effigies marmoreas cosmetarum atticorum, in Museo atheniensi dicto *Varvakeion* olim asservatas; quæ nunc in Museo dicto ἐθνικῷ conditæ sunt. Vide ***Bulletin de l'Institut de*** *Correspondance hellénique*, 1877, IV-V, pl. III. IV.

(2) « Τοῖουτόν σε θῶμεν πολίτην Κορινθίων; καὶ οὕτω τύχῃ ἀστυνόμον, ἢ ἐφήϐαρχον, ἢ στρατηγὸν, ἢ ἀγωνοθέτην. » Arrianus, *Epicteta*, III, c. I, 34. Et alias : « Τί οὖν γένηται; πόθεν οἱ πολῖται; τίς αὐτοὺς παιδεύσαι; τίς ἐφήϐαρχος; τίς γυμνασίαρχος;. » Ibid., c. 7, 19.

(3) ἐφήϐαρχον τελέσαντα τὴν ἀρχήν. Le Bas et Waddington, nº 643.

(4) Derriopos, Πανδώρα, Augusti 1870.

metam eosdem fuisse assequimur. Nec desunt indices cur rem a veritate haud ita discrepare putemus. In catalogis enim ephebicis, eumdem locum obtinet ephebarchus atque cosmeta in atticis lapidibus (1). Deinde quis non fateatur peregrinam formulam « ἀνέταξεν τοὺς ἐφήβους, » cum attica « ὁ κοσμητὴς... τοὺς ἐφηβεύσαντας ἀνέγραψεν » omnino congruere? Quod si hæc nostra opinio verisimile aliquid e tot collatis argumentis sibi detraxerit, haud parvi momenti erit locum quemdam rerum ephebicarum paulo obscuriorem nova interpretatione illustrari.

Titulus ὑπεφήβαρχος semel modo occurrit (2). Quo qui ornatus est, quasi frater ephebarchi designatur. Non abs re alienum videtur animadvertere honores et magistratus gymnasii, romanæ dominationis tempore, inter ejusdem familiæ viros fuisse partitos. Si supra dictis assentiaris, hypephebarchus simile munus atque in attica ephebia anticosmeta exercuit (3): præsidi nempe collegii adjunctus, in partem officiorum ejus venit, necnon et laudum in ephebarchum congestarum aliquid sibi vindicat. Quod officium primis ephebiæ temporibus non exstitisse judicamus; romana autem ætate quum ad novos honores instituendos Græci industriam exercent, duplex efficiunt summum ephebiæ munus, quo facilius viros familia nobilissimos nova dignitate decorent.

Nunc totam fere magistrorum et ministrorum seriem tenemus. Quibus ubique videmus præfuisse præsidem, summo munere ornatum, qui vere reipublicæ ipsius

(1) Vide Dumont, t. II, nos XLVIII A, LVI, LIX, etc.

(2) Cyzicus, *Corpus inscr. græc.*, no 3665.

(3) Qui magistratus primum *hypocosmeta* dicitur, ex quo majorem etiam similitudinem cum eodem munere in ephebia peregrina exstitisse comperimus.

partes in regendo collegio agere videtur, ὑπεύθυνος autem est, et rerum gestarum apud senatum populumque rationes reddit. Ceteri magistri pro sua parte tacticam, gymnasticam, rem militarem, artes, litteras ephebos docent : præses autem omnia maxima auctoritate moderatur. Qui non eodem nomine pro omnibus collegiis designatur. Reputantibus enim nobis quæ de gymnasiarcho et ephebarcho disseruimus, nihil deerit cur eorum munera nonnunquam eadem fuisse suspicemur. Megaræ enim revera ephebiæ præses est gymnasiarchus; in ceteris autem civitatibus, non plane congruunt inter se eorum officia. Hic enim non solummodo ephebiæ, sed totius gymnasii curam exercet, et simul ephebos, νέους, omnesque rei gymnasticæ qui sunt participes coercet; ita ut plane appareat officia ejus ephebicis institutis minus arcte cohærere. Ephebarchus autem proprie est collegii moderator; nec sine aliqua veritatis specie, eum primo loco, in magistratuum ordine, inscripsimus.

§ 3. — De muneribus et titulis honorificis epheborum.

Perlustratis magistratibus et ministris qui collegio aut præerant, aut operam dabant, accedimus ad munera quæ ephebi sibimetipsis vindicabant, et itidem titulos quos honoris jactandi vel gloriolæ fovendæ causa, sæpius suo nomini adscripserunt.

De principe ephebiæ, ἀρχέφηβῳ scilicet, jam diximus. Inter munera juvenilia ab ephebis gesta, nunc occurrit officium διοικητοῦ (1), quod ephebo cuidam commissum fuisse doctissimo viro Bœckh placuit. Etenim post nomen

(1) Cyzicus, *Corpus inscr. græc.*, n° 3665.

juvenis ephebiæ tempus iterantis, videmus ephebum Εὐτύχην quasi διοικητήν designatum (1); quod nomen, etsi aliunde notum est, nusquam alias reperitur ephebicum munus significasse. Ergo haud abs re erit memorare magistratus quosdam athenienses, eodem fere nomine insignes (οἱ ἐπὶ τῇ διοικήσει), munera sua in collegio attico epheborum habuisse (2); nempe pecuniam dabant ut decreta ephebica marmori insculperentur, et coronas emendas curabant, quibus ornabantur ephebi et magistri. Ephebiæ autem moribus plane consentaneum est juvenes ipsos munus aliquod in administranda pecunia Cyzici obtinuisse. Quanquam in titulis nostris peregrinis nusquam de collegii ærario et pecuniis mentio facta est, tamen, exemplo attici collegii freti, suspicari valemus ephebiæ sumptus partim a civitate, partim ab ephebarcho vel gymnasiarcho, partim ab ipsis ephebis fuisse toleratos. Nihil ergo agitur insolitum si unus ex ephebis deligitur, ut privatam ephebiæ pecuniam exerceat.

Alterum munus, διαβέτου scilicet (3), laconiæ ephebiæ peculiare fuisse apparet, de cujus natura consensus non factus est (4). In *cursu honorum* Σωσικράτου Ἐπαφροδίτου (5)

(1) « Eutyches inter sodales suos, quamvis et ipse ephebus, curam aliquam in gymnasio et administrationem gerebat, sub ephebarcha et hypephebarcha magistratibus, ut solet adolescentulis in societatem quamlibet congregatis aliqua rerum suarum administrandarum pars relinqui. » *Corpus inscr. græc.*, sub n° 3665.

(2) ... τὸ δὲ γενόμενον ἀναλώμα εἰς τὴν στήλην μερίσαι τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει. Dumont, t. II, p. 136, l. 33, 34.

(3) *Corpus inscr. græc.*, n° 1241, 1242, 1243, 1273, 1432. Le Bas et Foucart, n° 174.

(4) Bœckh (*Corpus inscr. græc.*, p. 611, t. I) existimat tali nomine gymnasii magistratum designari. Ottfried Müller (*Dörier*, t. II, p. 49), hoc munus exstitisse dubitat, quippe quod eo tempore uno tantum titulo notum esset.

(5) *Corpus inscr. græc.*, n° 1241.

ante omnes honores notatur διαβέτης titulus; quod si aliunde documenta depromamus, videre erit hunc titulum infra nomen βοάγος, quod puerorum principem designat, locum obtinere (1). Ergo hæc lucrari possumus: διαβέτην esse epheborum primarium, et idem hoc nomen in ephebia valuisse, ac titulum βοάγος in collegio puerorum. Βοάγος nempe vel βουαγός dicitur puer qui βουάς, æqualium scilicet agmina militari ordine disposita in exercitationibus gymnasii ducebat. Quemadmodum enim pueri inter βουάς et ἴλας distributi sunt, itidem ephebi tributim instruuntur; cuique globo præest διαβέτης (2). Recensentibus nobis quæ de archonte epheborum in Attica, et de ἀρχεφήβῳ in Argolide et Messenia pervulgata sunt, apparet unum idemque munus variatis quidem nominibus designari; nec mirum erit ephebica instituta, licet pro genuino cujusque civitatis ingenio quasi propria nota distinguantur, tamen ex eadem ratione orta, iisdem necessitatibus respondere.

Quos antea attigimus titulos, vel ad munera, vel ad honores spectant. Nunc disserendum est de titulis quos ephebi aliquando nomini suo adscripserunt, non honorem quemdam prædicandi causa, sed ut sodalitatem confirmarent. Titulum συνέφηβος, quem frequentissime memorant attici lapides, in ephebia extera nusquam alibi reperimus, nisi apud Spartanos (3). Persæpe vir, munia quædam assecutus, refert se fuisse synephebum alterius

(1) Le Bas, nº 174.

(2) Notatu tamen dignum est hoc munus solummodo pro Limnæorum tribu designari.

(3) Le Bas et Foucart, nº 167. *Corpus inscr. græc.*, nºˢ 1364 b, 1239, 1244, 1359, 1256, 1255, 1247, etc.

civis, qui unus e patronymis eponymis exstitit. Quod quum Bœckh attenderit, ingeniose de hoc verbo commentatus est; et operæ pretium erit quæ doctissimo viro placuerunt paucis repetere (1). Titulum συνέφηβος τοῦ δεῖνα in honorum curriculo prima semper linea suppeditat; semel modo, secundum locum obtinet, quum primo exaratus est titulus βωμονίκης (2). Inde sequitur hoc vocabulum a juvenibus, tempore ephebiæ, quasi ornamentum usurpari solere. Quod qui nomini suo addiderunt, designantur quasi synephebi cujusdam patronymi eponymi; novimus enim synephebos Seidectæ, Damocratidæ, Lysippi, Herodis Attici, Longini. Quare eo adducitur Bœckh ut concludat synephebos circa patronymum eponymum quasi præsidium constituisse, inter fortissimos et nobilissimos epheborum delectum. Pertrectanti cuivis titulos laconicos, speciosa quidem videbitur hæc commentatio; cui minorem fidem adhibere fatemur, si titulos atticos laconicis conferamus. In Attica enim vocabulum συνέφηβος sexcenties (3) reperitur, neque aliter interpretari valeas quam *ephebicum sodalem*. Præterea plane congruit cum atticis titulis inscriptio laconica (4), qua synephebi statuam sodali suo Damocrati decernunt, et in palæstra erigunt. Si prolatis a v. cl. Bœckh staremus, inde sequeretur Damocratem patronymum fuisse, quod nullo testimonio comprobatur.

(1) *Corpus inscr. græc.*, t. I, pars V, caput VI, 3 seq.

(2) Neminem fallit hoc nomine ornari puerum qui virgis cædi ante aram Artemidis Orthiæ fortissime toleraverat (Vide Le Bas et Foucart, n° 175 b. Cf. Pausanias, III, XVI, 10, et Cicero, *Tusculanæ*, II, XIV.

(3) Vide Dumont, op. laud., t. II, XX, XLI, XLII, XLVI, etc.

(4) Le Bas et Foucart, n° 167.

Nihil ergo obstat cur æstimemus vocabulum synephebum eamdem vim Athenis et Spartæ habuisse; nihil contra certi occurrit cur a suo sensu detorqueamus. Quod vero ad id attinet, scilicet synephebos semper patronymi eponymi nomen commemorasse, nonne verisimile videbitur eos ita egisse, ut ephebiæ suæ tempus designarent? Nempe quis est qui non videat patronymi mentionem idem valuisse atque anni? Quare alia quæ Bœckh concludemus, iis quidem titulis freti, qui Athenis in lucem, anno 1860, venerunt, et longam synepheborum seriem attulerunt. Nihil enim mirum si Spartæ atque Athenis civibus quibusdam placuerit referre se viri summis honoribus ornati sodales quondam exstitisse.

Haud dissimili more, nonnunquam ephebi nomen suum titulo decorant, qui eos inter se amicitiæ communione junctos fuisse testetur. In titulo orchomenio, ephebi dicuntur [ἔφηβοι] φίλοι οἱ ὑπογεγραμμένοι (1). Ita, in Attica, catalogi sæpissime denuntiant selectos quosdam ephebos qui quasi φίλοι, vel γοργοί vel γνήσιοι designantur (2). Quanquam haud facile est talium verborum sensum plane definire, ex lapidibus tamen constat ephebos juncta amicitia, in societatem coire solitos esse; sæpe etiam singula amicorum paria conveniunt, quibus adscribuntur verba φίλοι καὶ συνέφηβοι. A supradicto more non discrepat usus, quo ephebi bini, contubernio juncti, sibimetipsis nomen συστάτας vindicant. De quo vocabulo, a recentioribus valde disputatum est. Dittenberger duplicem vim huic voci attribuit, et primum ad exercitationes, in quibus

(1) Keil, *Sylloge inscriptionum bœoticarum*, XV a.
(2) Dumont, t. II, XXXIV-XL.

ephebi bini instruuntur, deinde ad plures etiam ephebos congregatos id pertinere commentatur (1). Sed si Byzantii repertos titulos attendamus (2), videre est duos ephebos haud raro nomina sua marmori insculpsisse, illo pæne modo qui *graffito* dicitur, et se quasi συστάτας, significasse. Nonne verisimile erit hunc morem, ut Bœckh putavit, nequaquam ad ordinem quemdam in luctatione aut acie instructum pertinere, et tali vocabulo non paria epheborum inter se luctaturorum, sed amicorum societatem designari? Ephebi enim qui dicuntur συστάται, quasi amicitiæ fœdere pacto, una in collegii festis et exercitationibus versantur; alter alterius lateri adhæret, usque comes amico adstat, et in acie auxiliatur.

An ephebico cuidam mori respondeant lápides Byzantii inventi (3) quibus insculpta sunt plantarum vestigia, nominibus inscripta, non omnino claret. Auctores hæc marmora illustrandi, existimant ea ad christianos usus esse referenda, et ita significatum esse socios quosdam collegii christiani convenisse. Sed tali commentatione non omnis tollitur dubitatio. Quæ quum vestigia una cum titulis ephebicis reperta sint, et sæpius in eodem lapide manu quidem rudi insculpta appareant, haud du-

(1) *De ephebis atticis*, p. 20, 21. Cf. Dumont, op. laud., p. 312.

(2) Mordtmann et Dethier, *Epigraphik von Byzantion und Constantinopolis von den ältesten Zeit, bis zum Jahre Christi* 1452. Wien, 1864, vide p. 73, LVI, fragmenta A et B.

Γλυκῶνος
καὶ Δημητρίου
τῶν συστάτων

Confer fragmentum Cyzicenum ineditum, quod publici juris infra fecimus, *Appendix*, n° 1. Ex quo constat, unico sane exemplo, hunc morem Cyzici haud secus atque Athenis invaluisse.

(3) Mordtmann et Dethier, op. cit., tabulas VII, VIII.

bium videtur ad ephebiam et ipsa pertinere. Nempe verisimile est ephebos byzantios, quo tempore e collegio excederent, solitos fuisse vestigia sua quasi marmori impressa relinquere; sed de hac interpretatione nihil certius afferre valemus.

Denique, ut hujus capitis propositum consummemus, videmus aliquando ephebos nomen suum, adjecto titulo exornasse, et mutuo sibi laudes singulares decrevisse. Spartæ enim, ephebus a sodalibus suis quasi alter Hermes (νέος Ἑρμείας) (1) prædicatur; nemo autem est qui ignoret ephebos semper peculiari et insigni devotione Hermem fovisse. Ipsi autem synephebi, in eodem lapide, gloriantur esse « παῖδες ἀνίκατοι, σθεναροί, κρατεροὶ συνέφηβοι. » Si talia vocabula, a juvenibus jactata, paulo ambitiosiora videntur, ex illis plane intelligimus quam firma exstiterit collegii sodalitas. Nempe quum disciplina communi, tum laudationibus mutuis et amicitia ad nobiles sensus et juvenilem superbiam excitati, ephebi quasi uno eodemque spiritu afflabantur. Arctissima inter eos fiebat communio, ita ut, quemadmodum in atticis anaglyphis quandoque populus atheniensis unius personæ figuram usurpat (2), et ipsa Ephebia nonnunquam ab artificibus expressa, personæ formam et effigiem induerit. Quod apparet ex insigni titulo apud Ephesum effosso, ubi memoratur virum ab Ephesiis bene meritum, Salutarium, argenteam Ephebiæ statuam civitati donavisse (3).

(1) Le Bas et Foucart, n° 167.

(2) Vide Schœne, *Griechische Reliefs*, n° 75.

(3) Wood, *Discoveries at Ephesus. Inscriptions from the Great Theatre*, p. 10, col. 3, l. 33.

« ... καὶ ἄλλη εἰκὼν ἀργυρέα τῆς Ἐφηβείας... »

CAPUT QUARTUM.

DE EPHEBORUM EXERCITATIONIBUS.

§ 1. — De sacris.

Inter omnia studia quibus vacabant ephebi, nullis majorem curam impensam fuisse apparet, quam iis quæ ad peragenda religionis sacra attinerent. Quod plane cum ephebiæ institutis, quæ hactenus descripsimus, consentaneum esse videtur. Nam in civitate antiqua, jus sacra exsequendi prorsus cum jure civili cohæret; diligenter cavetur ne quis peregrinus quasi impura contagione patriam religionem contaminet; neque cuiquam licet ritibus interesse, nisi sit ingenuus, et liberis parentibus oriundus. Quare vix in collegium admissis adolescentibus, primum munus occurrit discere quomodo fiant cives religionis periti, et ad peragenda pure sacra idonei; neque longum tempus sive comitando pompas sollennes, sive partes in sacra agendo eos trivisse quisquam infitiabitur. Quid quod nihil antiquius civibus esse poterat, quam juvenes primo ætatis flore quasi nitentes, habitu eximios, et pulchro ordine compositos in cærimonias primo loco admittere, ut grato diis spectaculo sollennis pompa decoraretur. Quod igitur ex ipsa rerum

ratione constat, idem comprobant tituli epigraphici; quorum testimonio freti, indagare valemus quas partes ephebi in sacris patriis tenuerint.

Sæpe civitas insolita sacra fieri jubet, ut irati cujusdam dei voluntas placetur. Ita, in titulo pergameno (1), memoratur longa cærimoniarum series quas celebrari jussit oraculum Apollinis Grynæi, ut pestis urens civitatem, M. Aurelio principe, precibus averteretur; sacra autem in honorem Æsculapii fieri necesse fuit. Inter omnes qui theoriæ intersunt, conspicui sunt ephebi, omnes ante euntes, chlamydibus insignes, et secundum quatuor ordines instructi; quorum cuique præest unus e magistratibus qui ἡγεμόνες dicuntur. Ordinum unusquisque carmen proprium in honorem deorum patriorum canere jussus est; primus scilicet Jovem precatur, alter Bacchum, tertius Minervam Tritogeneiam, ultimus autem Æsculapium; postea, Minervæ ovem, ceterisque deis taurum trimum mactent præscribitur. Primi pompam ducunt ephebi; pone sequitur agmen Pergamenorum.

Nec magis absunt ephebi a lætioribus cærimoniis, quum civitas ad blandiendum viro vel feminæ illustri effusa, insuetos honores decernit. Novimus e titulo quodam cyziceno (2) decretum quo regina Antonia Tryphæna, Cotyis uxor, et simul tres ejus filii, reges Rhemetalces, Polemo, et Cotys, excedentibus sane modum laudibus exornantur. Ut primum in civitatem ingressa erit, sa-

(1) *Corpus inscr. græc.*, nº 3538.

(2) ***Monatsberichte der k. preuss. Akad. der Wissenschaften zu Berlin.*** Januar 1874. Δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπῃνῆσθαι τοὺς βασιλέας Ῥοιμητάλκην καὶ Πολέμωνα καὶ Κότυν καὶ τὴν μητέρα αὐτῶν Τρύφαιναν... ἀγαγεῖν δὲ ἐπὶ τὴν ὑπάντησιν καὶ τὸν ἐφήβαρχον τοὺς ἐφήβους καὶ τὸν παιδονόμον τοὺς ἐλευθέρους παῖδας...

cerdotes et hierodulæ templorum sacra septa aperient, et lignea deorum signa (τὰ ξόανα) vestibus induent. Denique Cyziceni ab archontibus et stephanophoris, ephebi ab ephebarcho, pueri ingenui a pædonomo ducti, regiis personis obviam ibunt. In urbe Teo, haud dissimile decretum cærimonias indicit, quibus cives diem natalem Pii cujusdam celebrare jubentur (1). Ephebi scilicet Bacchi sacerdoti adjunguntur, ut in templo carmina canant; sacerdotem ritus sacros peragentem adjuvant, in ara sacrificia exsequuntur, thus cremant, et lampadum flammas puris manibus accendunt. Ephesi quoque proprium est epheborum sacra signa, una cum templi ministris, in pompa sollenni attingere, per civitatis vias a porta Magnetica usque ad Coressicam ferre, et iterum in templum reportare (2). Ita, sive ephebi cærimoniis intersint, sive etiam, ut in insula Thera, inter socios thiasorum adscribantur (3) manifesto perspicuum est eos semper partem quamdam, haud infimam, in sacris egisse. Prout necesse fit, collegium et ipsi sacrum constituunt; in titulo teio, una cum omnibus thiasis ephebi et νέοι nominantur (4).

(1) Le Bas et Waddington, *Asie Mineure*, n° 90, et *Corpus Inscr. Græc.*, n° 3062 a. Verisimile est eumdem virum fuisse hunc Pium, atque Pium Pisoninum, ex altero titulo notum. Le Bas et Waddington, ibid., n° 106. Confer etiam ibid., n° 107.

(2) Τὰς... εἰκόνας... φερέτωσαν ἐκ τοῦ προνάου εἰς τὸ θέατρον.. ἐκ τῶν νεοποιῶν δύο, καὶ οἱ ἱερονεῖκαι καὶ σκηπτοῦχος καὶ φύλακοι, καὶ πάλιν ἀποφερέτωσαν εἰς τὸ ἱερὸν καὶ κατατιθέσθωσαν συμπαραλαμβάνοντων καὶ τῶν ἐφήβων ἀπὸ τῆς Μαγνητικῆς πύλης καὶ μετὰ τὰς ἐκκλησίας συνπροπενπόντων ἕως τῆς Κορησσικῆς πύλης... Wood, *Discoveries at Ephesus*. Titulus Salutarii, col. 7, lineis 30 seq.

(3) Ephebi in thiasum admittuntur qui in honorem heroum Andragoræ, Epictetæ, Cratesilochi, et Phœnicis constitutus est. *Corpus inscr. græc.*, n° 2448.

(4) *Corpus inscr. græc.*, n° 3101 : οἱ ἔφηβοι, οἱ νέοι, οἱ θίασοι πάντες.

Hoc tamen attende, quod usum Stratoniceæ urbis peculiarem demonstrat (1). Ephebi videlicet non admittuntur in cærimonias quæ in honorem Jovis Panemerii et Hecates peraguntur. Pueri ingenui, et e primariis familiis oriundi, candidis vestibus et coronis frondentibus insignes, manu gerentes virides ramos, ducentibus pædonomo et pædophylace, quotidie carmen a scriba senatus designatum canere jubentur. Sed quisquis inter ephebos, matura jam ætate, inscribetur, e choro excedat, et locum alteri puero ex iisdem classibus delecto obtinendum relinquat necesse est. Ceterum pueri inter ephebos annumerati effigies in publico quodam ædificio collocabitur. Licet tali usu ephebi e ritibus exsequendis excludantur, non omnino res discrepat cum iis quæ de officiis epheborum exposuimus. Quis est enim qui non videat ibi de re quadam insueta agi? Nempe eæ sunt cærimoniarum necessitates, ut pueri teneri, nondum ad ephebicam ætatem provecti, soli in partem sacrorum admitti debeant.

Neque ea, quam diximus, unica est epheborum provincia. Immo, locum suum habent ephebi in exsequiis vel publicis laudationibus virorum, quos insignibus muneribus functos, aut de civitate bene meritos, post mortem honoribus exornari populus decrevit. In urbe Cyme (2), inauditas laudes cives tribuunt defuncto L. Vaccio Labeoni, propter incredibilem ejus erga civitatem benevolentiam, quippe qui gymnasiarchiæ suæ tem-

(1) *Corpus inscr. græc.*, n° 2715 a.

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 3524. Cf. Egger, *Mémoires d'histoire ancienne et de philologie*, p. 78 seq.

pus amplissimis donis et largitionibus illustraverit. Decreto jubetur corpus Labeonis in gymnasium ab ephebis et juvenibus (νέοι) introferri, et aurea corona decorari. Non in una solum civitate hunc usum receptum fuisse deprehendimus. Similes enim honores quum Herodi Attico, tum Castricio cuidam mortuis decernuntur (1); quorum ille ab ephebis atticis, hic a smyrnæeis pariter feruntur. His laudibus nihil insignius reperiri potuisse, ex ipso Ciceronis testimonio comperimus; quamvis Tullius irrideat Castricium, virum sane ignobilem, quem Smyrnæi, adulandi insano ardore elati, « decus patriæ, ornamentum populi romani, florem juventutis » appellavere, apparet tamen summos ei honores, advocatis ephebis, civitatem tribuere voluisse.

Necnon ephebi propria sacra et peculiares ritus peragunt. In urbe Teo, Herculem et Musas singulari pietate venerantur, ita ut iis sacra facere ephebum victoria nobilitatum in usum venerit (2). Alii ab aliis dei excoluntur. Etenim Spartæ, ante quam in Platanistam inter se luctaturi coeant, Jovi Enyalio in Phœbæo catulum mactant ephebi (3). Noctu agunt sacra; postea, in binas partes distributi, porcos inter se dimicare cogunt; eæ

(1) Vide Vidal Lablache, *Hérode Atticus*, p. 160. Cicero, *pro Flacco*, XXXI, 75 : « Vellem tantum habere otii, ut possem recitare psephisma Smyrnæorum, quod fecerunt in Castricium mortuum, primum ut in oppidum introferretur, quod aliis non conceditur; deinde ut ferrent ephebi, postremo ut imponeretur aurea corona mortuo. »

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 2214. Tei enim exstitit hieron Mercurio Herculi et Musis sacrum. Confer ibid., n° 3059. Vide etiam Pausaniam, VIII, 32, 2.

(3) Pausanias, *Laconia*, III, 14, 8. De Jove Enyalio, a Marte haud dissimili, vide O. Müller, *Handbuch der Archäologie*, § 68. Gerhard, *Griechische Mythologie*, p. 368, § 347 c. Ab atticis ephebis pariter colebantur Mars et Jupiter Enyalios. Vide Schneidewin, *Philologus*, 4, 455.

autem partes victoriam reportaturæ prænuntiantur, quarum sus prævaluit. Sequenti die, ludi incipiunt.

§ 2. — De gymnasticis et militaribus exercitationibus.

Ludorum in festis participes ephebos exstitisse, una cum viris et pueris (παῖδες, ἀγένειοι), catalogi agonistici demonstrant. Quare haud a proposito nostro alienum erit festa, quæ ex titulis nota sunt, memorare.

Cyziceno titulo enumerantur juvenes ephebiam agentes (1) quum ludi vocati Ἀδριάνεια Ὀλύμπια celebrarentur.

Lampsaci designantur Μεγάλα Τυχεῖα (2). Ilii autem Νέα Παναθηναῖα (3); Philadelphiæ ludi Artemidis Anaïtidis: Μεγάλα Σεβαστὰ Ἀναείττεια (4); Acmoniæ, ludi quinquennales in honorem Juliæ Severæ et L. Servenii Capitonis agebantur (5).

Non aliis sane exercitationibus in ludis atque in gymnasio indulgent ephebi. Gymnasia autem omnium civitatum non novimus; quorum quæ nomina ad nos pervenerint dicemus.

Megaræ gymnasium situm prope templum Jovis Olympii dicebatur Olympieion (Ὀλυμπιεῖον) (6); cujus nomen primum fuisse γυμνάσιον τὸ κατὰ τὸ Ὀλυμπιεῖον, ac postea in brevius contractum procul a dubio videtur. Pausanias quidem alterum memorat vetustius, quod

(1) *Corpus inscr. græc.*, n° 3665. Cf. 3675, 3676. Vide Marquardt, *Cyzicus*, p. 143.

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 3644.

(3) *Corpus inscr. græc.*, n° 3620.

(4) *Corpus inscr. græc.*, n° 3424. Le Bas et Waddington, n° 655.

(5) Le Bas et Waddington, part. V, n° 754.

(6) Le Bas et Foucart, n° 34 e.

vidit prope portam dictam *Nymphadem* (1); verisimile est autem recentius ephebos sibi vindicasse, in quo exercerentur; nempe eo loco, ubi gymnasium exstitisse existimatur, reperti sunt tituli ephebici megarenses. De *Platanista*, quo conveniebant ephebi lacones, jam supra diximus (2). Magnum enim spatium fuit, undique platanis septum, et fossa circumdatum, ad quod per binos pontes aditus fiebat; pontes autem exornati erant signis Herculis et Lycurgi, quippe qui primi laconicæ ephebiæ leges et disciplinas constituissent. Præterea Chii titulus gymnasium commemorat, patrii, ut Chiis placebat, poetæ nomine decoratum, dictum scilicet Homeræum (3).

De ipsis gymnasticis exercitationibus abunde recentiores disseruerunt (4); neque nobis in animo est tritas jam vias iterare; quare hoc tantum attendemus, quod cum ephebiæ institutis congruit.

Accurate dispositus est exercitationum ordo, quem subinde, e titulo chio (5) notamus.

δόλιχος
στάδιον

(1) ... « Ἔστι δε ἐν τῷ γυμνασίῳ τῷ ἀρχαίῳ πλησίον πυλῶν καλουμένων Νυμφάδων λίθος... » Pausanias, I, c. 44, 2.

(2) ... « Καὶ χωρίον Πλατανιστᾶς ἐστιν, ἀπὸ τῶν δένδρων, αἳ δὴ ὑψηλαὶ καὶ συνεχεῖς περὶ αὐτὸ αἱ πλάτανοι πεφύκασιν. » Pausanias, III, 14, 8.

(3) *Corpus inscr. græc.*, n° 2221, l. 10. In urbe caria Aphrodisiade, gymnasium comperimus a viro quodam instauratum;... qui restitui curavit ἐν τῷ Διογενιανῷ γυμνασίῳ τὸν βασιλικὸν [οἶκον], τὰς εἰσόδους. *Corpus inscr. græc.*, n° 2782.

(4) Vide Krause, *Gymnastik und Agonistik der Hellenen.*

(5) *Corpus Inscr. græc.*, n° 2214. Confer etiam titulum samium, ubi præter hoplomachiæ exercitationes memorantur solum δόλιχος et στάδιον. *Monatsberichte der k. preuss. Akad.*, etc., *zu Berlin*, 1859.

δίαυλος

πάλη

Similis ordo reperitur in aliis catalogis, licet apud Thebanos addita sint supradictis studiis pugilatus (1) (πυγμή), et pancratium (παγκράτιον) (2), et testis est Pausanias eumdem Olympiæ fuisse usurpatum (3).

Non sine ætatis discrimine in ludis ephebi versabantur. Etenim in titulo quodam chio, apparent tres epheborum classes, quæ triplicem ætatis gradum significare videntur.

ἔφηβοι νεώτεροι

— μέσοι

— πρεσβύτεροι

Eadem est vis partitionis quam in catalogo agonistico teio deprehendimus : νεωτέρας ἡλικίας, μέσης ἡλικίας, πρεσβυτέρας ἡλικίας (4). De qua ancipitem opinionem Bœckh exposuit; sive enim ephebos in trinas classes divisos, sive triplex classium genus, ephebos scilicet, pueros, et juvenes ita designari existimavit. Collatis autem inter se titulis quum chio, tum teio, verisimile fit nobis rem ita esse expediendam; videlicet in utraque civitate ephebi inter tres classes dispertiti, prout cujusque ætas cum variis studiorum generibus consentiebat, separatim sese exercuerunt.

(1) Pugilatum ephebos lacones non exercuisse verisimile est. Vide Haase ad Xenophontis, *De Rep. Lac.*, p. 104. Cf. Petersen, *Das Gymnasium der Griechen*, p. 4.

(2) *Corpus inscr. græc.*, n° 1590.

(3) « Καὶ δολίχου τε ἡμέρᾳ τῇ αὐτῇ καὶ παραυτίκα σταδίου, λαβὼν νίκην προσέθηκε διαύλου σφίσι τὴν τρίτην. » Pausanias, VI, 13, 3. Confer titulum e civitate Aphrodisiade, *Corpus inscr. græc.*, n° 2758.

(4) *Corpus inscr. græc.*, n° 3088.

Attamen quandoque fieri potest ut ephebus, ceteros æquales longe exsuperans, cum sodalibus natu majoribus concurrerit. In Chii enim collegio (1), comperimus ephebum, Ἀπολλώνιον Ἀπολλωνίου, stadio inter μέσους, et postea diaulo inter πρεσβυτέρους vicisse. Etenim quum æmulandi studium ephebiæ institutis magnopere excitatum esse appareat, minime ab ipsa disciplinarum ratione abhorret juvenes, artis cujusdam peritiores, cum sodalibus majoris ætatis colluctandi veniam sæpius usurpasse.

Alia quidem in aliis civitatibus constabat ludorum natura, prout majoris momenti gymnasticæ exercitationes fiebant. De lucta epheborum laconum in *Platanista*, haud indigna notatu refert Pausanias (2), unde perspicere est ad quantum feritatis gradum, pugnandi ardore incensi, juvenes quandoque pervenerint. Postquam in duas partes discesserant, in medio Platanista, clauso scilicet et fossa circumdato, conveniebant, et cruentum sæpe miscebatur prælium. Pedibus et manibus pugnantes, dentibus et unguibus hostem lacerantes, adversos sodales in fossam detrudere ardebant, ita ut nonnunquam oculos sibi eruerent.

Præter gymnastica studia, militaribus etiam exercitationibus vacabant ephebi; quarum ordo idem fuisse per omnes civitates Græciæ videtur; sequentem autem commemorat titulus sestius (3).

(1) *Corpus inscr. græc.*, nº 2214.

(2) Pausanias, III, 14, 8 seq.

(3) *Hermes*, 1873. Cf. titulum Sami, *Monatsberichte der k. Akademie zu Berlin*, 1859, p. 739 seq. Confer titulum Cei, quo eadem exercitia denuntiantur, licet non omnia reperias : « Καὶ ἐξάγειν εἰς μελέτην ἀκοντισμοῦ καὶ

καταπαλτή
ἀκόντιον
τόξον
ὁπλομαχία
θυρεομαχία

Artem catapultas torquendi, quæ primum locum obtinet, serius tantum, Alexandri tempore, ephebi didicerunt, quum urbes expugnandi rationes quam maxime Græci exercuerunt. Mittendarum sagittarum artem haud secus ac pilorum jaculationem, etsi minus apud Græcos usitatam fuisse comperimus (1) minime tamen neglexerunt ephebi. Sestius enim titulus supra citatus memorat θέσεις ἀκοντισμοῦ καὶ τοξείας esse decretas; et in urbe Teo, gymnasiarchus jubetur ter, per unum mensem, ephebos sagittas mittendas docere (2). Certare in armis, nec pugnis tantum, sed gladio et scuto adversarium urgere, tacticas res discere, et solitos in prælio motus simulare, uno verbo, ὁπλομαχία scilicet, significatur. Hoplomachi partes in ephebia spartana, quum Lacedæmonii hunc magistrum in collegium admittere recusarent, gymnastes occupabat. (3) Θυρεομαχία cum longiore scuto et breviore gladio exercebatur. Quoquo mense, positis præmiis,

τοξικῆς, καὶ καταπαλταφεσίας τρὶς τοῦ μῆνος. » *Corpus inscr. græc.*, n° 2360. Non abs re erit animadvertere Spartæ nullum locum factum esse hoplomachiæ exercitationibus; nempe indignum fuisset bellicam artem umbratilibus studiis, non re ipsa, discere. Vide : Plato, *Laches*, 182. E. *Euthydemus*, initio.

(1) ἀκόντιον, ἀκόντισμα. Vide Krause, loc. cit., t. I, p. 465.

(2) *Corpus Inscr. græc.*, n° 2360.

(3) « Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ τακτικὴν ἐβούλοντο καὶ αὐτοὺς τοὺς γυμναστὰς εἰδέναι, μελέτην τῶν πολεμικῶν τοὺς ἀγῶνας ἡγουμένοι. » Philostratus, Περὶ γυμναστικῆς, 19, p. 32, éd. Darenberg.

ephebi in certamine conveniebant (1), et fiebat nonnunquam ut idem ephebus per totum annum victoriam reportaret. Ita ephebus quidam, Zoïlos nomine, victor stadio et diaulo pro omnibus mensibus evadit; alter, Menecles, in ὁπλομαχίᾳ, θυρεομαχίᾳ et καταπαλταφεσίᾳ ceteros exsuperare non destitit.

Militaria exercitia romanæ dominationis tempore in usum potissimum venisse perhibent tituli; quantum autem locum inter cetera obtinuerint, testis est samius titulus supradictus, quo senatus et populus civi cuidam Meneti, propter insignem ejus erga ephebos benevolentiam, effuse laudes decernunt. Ludos enim militares Menas instituit, et præmia posuit; pulchra scilicet arma, in thecis condita, et nomine suo inscripta, victorum epheborum unusquisque accipiet.

Magni momenti esset comperire quatenus in quaque civitate ephebi peregrini in partem ludorum admissi fuerint. De quo plerique silent tituli. Liceat tantummodo referre quæ editori *Corporis inscriptionum græcarum* placuerint; quippe qui opinetur in insula Chio ephebos populares (πολιτικοί) in ludis versandi copiam solos habuisse.

§ 2. — De litterarum et artium studiis.

Et illa studia, pro epheborum ætate variata erant. Teii ephebi in trinas series distinguuntur, quarum cuique suæ exercitationes indicuntur. Ita autem sequitur studiorum ordo.

(1) Vide titulum samium, supra notatum, *Monatsberichte*, etc., 1859. Ita duodecim ephebos coronatos præbet titulus siculus: Gela, *Corpus inscr. græc.*, n° 5475.

Ephebi majoris ætatis (πρεσβύτεροι) : ὑποβολὴ ἀνταποδόσεως. Haud longe discrepat a ῥαψῳδίᾳ exercitatio tali nomine designata ; de qua uberrime Bœckh commentatus est, et ita concludit : « Quod si id tenemus, quod de ὑποβολῇ dixi, esse eam recitationem carminis epici talem, qua succedens quisque rhapsodus continuat priorem, ita ut singulæ partes canantur ab aliis, concedemus rectissime dici potuisse ἀνταπόδοσιν ὑποβολῆς, quod hoc genus successionis quasi cantum amœbæum referat ; et unaquæque pars quæ post primam recitabatur, erat ὑποβολὴ ἀνταπόδοτος τῇ προτέρᾳ, ipseque rhapsodus ἠμείβετο ἐξ ὑποβολῆς (1); » sequitur ἀνάγνωσις, quæ simplex recitatio est.

Ephebi mediæ ætatis (μέσοι), indulgent studio quod dicitur ὑποβολή. Recitatio est, in qua ephebi ordine carmen dicunt ; quæ ab ὑποβολῇ ἀνταποδόσεως discrepare videtur ; nempe non jam alterna recitatione sibi respondent ephebi. Necnon πολυμαθίαν in titulo significatam reperimus ; tali nomine facile judicabis comprehendi cognitionem scientiarum quibus ephebi a Plutarcho dicuntur ingenium admovisse (2) ; γράμματα scilicet, καὶ γεομετρίαν καὶ τὰ ῥητορικὰ καὶ μουσικὴν discere juvenes memorat philosophus, cujus cum testimonio plane convenit titulus de quo studiorum seriem deprompsimus. Artem denique pingendi et delineandi (ζωγραφίαν) excolunt hujusce mediæ classis juvenes.

(1) Bœckh, *Corpus inscr. græc.*, n° 3088. Cf. Diogenes Laertius, ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖν. De hujus exercitationis natura recentiores magnopere disputaverunt. Vide quid disseruerint Wolff, *Prolegomena Homeri*, p. cxl, et God. Hermann, *Opusc.*, t. V, p. 300-311.

(2) *Quæst convív.*, IX, 1, 1.

Eæ sunt autem exercitationes quibus vacant ephebi inferioris ætatis (νεώτεροι) : ὑποβολή, recitatio nempe ordine facta; ἀνάγνωσις; sequitur καλλιγραφία, quæ recitationi et lectioni adjuncta est, nam ad illa genera studiorum referenda est litterarum scriptura. Ψαλμός; ita significatur ars cithara utendi sine plectro, solis digitis chordas tangentibus (1); κιθαρισμός, quæ ars contra plectri usum desiderat; κιθαρῳδία dicitur quum juvenis voce simul et cithara canit; ῥυθμογραφία, ars scribendi rhythmica sigla, quibus notabantur saltationis moræ; κωμῳδία et τραγῳδία autem referri debentur ad cantica lyrica, quæ sive e tragœdiis, sive e comœdiis a magistro decerpebantur; μελογραφία denique non plane dissimilis est ab illa exercitatione quæ dicitur ῥυθμογραφία; nempe ars fuit scribendi signa melica, quæ gallice *notations musicales* vocamus.

Idem Chii exstitit exercitationum ordo, quanquam non omnes reperire queas (2) :

ἀνάγνωσις
ῥαψῳδία
ψαλμός
κιθαρισμός.

Titulorum testimonio comperimus apud ionicas civitates potissimum artes quæ vel ad voluptatem, vel ad humanioris vitæ delectamenta pertinerent, juvenes maxima diligentia excoluisse. Quare, quum musica e

(1) « Τὴν μάγαδιν καὶ τὴν πηκτίδα χωρὶς πλήκτρου διὰ ψαλμοῦ παρέχεσθαι τὴν χρείαν. » Aristoxenes, apud Athenæum, XIV, p. 635 B. Cf. Plutarchum, Περὶ πολυφιλίας, p. 293.

(2) *Corpus inscr. græc.*, nº 2214.

liberalibus disciplinis minime exclusa fuerit, juvat ephebos Teios, una cum populo et stratego, auream coronam decernere tibicini Cratoni (1) quem reges Eumenes II et Attalus II insigni benevolentia sunt prosecuti.

(1) Vide Cicero, *Pro Archia poeta*, 5.

CONCLUSIO.

Quid ex illis omnibus, quæ supra disseruimus, colligi possit, nunc breviter concludamus necesse est.

Leges, magistratus, exercitationes ephebiæ singillatim exposuimus. Notatu tamen dignum est non utique sibi constantem ephebiæ veluti faciem extitisse. Quod si legibus pauca, ut videre est, hominum voluntas detraxit, non idem semper valuerunt instituta, quorum alia diuturnitate temporum obsoleta, alia a pristina vi detorta fuisse apparet. Quare quamvis nullo populi senatusve scito mutata sint, tamen delineare nobis licet veluti periodos, quibus distinguitur ephebiæ historia.

Principio, ante macedonicam ætatem, quum græcæ civitates liberum quasi ingenium spirant, cum jure publico cohærent ephebicæ disciplinæ: militaribus exercitationibus indulgent ephebi ut armis patriam defendant; militare collegium ephebiam esse vere asseri potest. Collegia Megaridis et Bœotiæ, quorum titulos suo loco commentati sumus, pristinæ ephebiæ expressam imaginem nobis reddere videntur. Posteriore autem ætate, quum Græcia romana provincia facta est, et dilabuntur publica instituta, in modum et speciem gymnasii vertitur ephebia. In tanta enim rerum publicarum exigui-

tate, nil refert juvenes ad civica jura capessenda informentur; quippe quæ, licet græcæ civitates libertatis nomen præ se ferant et jactent, ad ostentationem tantum accommodata sint. Quare ephebi pulverem et solem castrorum effugiunt, et inter umbratilia studia contenti, artibus ingenuis, palæstræ, gymnasticis exercitationibus curam dant et operam. Si titulos chios, teios, cyzicenos cum megarensibus conferamus, perspicuum erit quatenus mutata sint ephebiæ instituta. Non enim primum locum obtinent officia publica, sed ephebi tempus in gymnasii studiis conterunt, cærimoniis intersunt, pompas comitantur, et fulgent in armis. Denique, vergentibus temporibus, religionis sacra et ritus præcipua fiunt epheborum officia. Ita publicæ historiæ vices et fortunas ephebiæ historia refert; nec certius argumentum eruere valemus cur comprobemus hujus institutionis veluti radices penitus moribus et ingenio Græcorum inhæsisse.

Ceterum quamvis eumdem quasi animum spirare videantur per totam Græciam collegia epheborum, non ita inter se congruunt, ut quid unumquodque patriæ civitatis ingenio debuerit deprehendere non valeas. Alia sunt aliis collegiis studia, aliæ disciplinæ. Ut absolutam cujusque imaginem efficeremus, rariora sane erant vestigia quæ lapidibus insculpta nobis suppeditabant. Attamen videre est alia collegio attico omnium perfectissimo similiora exstitisse : cyzicenum scilicet, teium, chium; alia autem, in Bœotia, Megaride, et Peloponeso, atticæ ephebiæ nec res nec nomina fuisse imitata. Quæ quatenus ab attico collegio differrent, suo loco exposuimus.

Ex omnibus documentis quæ lapides nobis tradiderunt, manifesto apparet nullam fere Græciæ civitatem ephebica instituta neglexisse; unde compertum habemus, quæ historici vel philosophi de educanda juventute commentati sunt, rebus vere et moribus respondisse. Nec parvi momenti est quod ubique græcum ingenium sibi constans exstitisse videmus. Vel in remotas regiones, quo linguam et mores patriæ ferunt Græci, sequuntur ephebiæ instituta; ita ut juvenes veluti et ipsam Græciam offendant. Massiliæ haud secus atque in urbibus Cariæ vel Thraciæ, ephebi a civitate eruditi, nobilissimis artibus pleni, civis liberi dignitatem et officia discentes, veram perfectissimi civis imaginem, patrona et auspice patria, reddere student et evincunt.

APPENDIX.

1° Hic titulus ineditus est; quem hic inscribimus ex apographo Dris H. Schliemann. Cyzici repertus est.

Ι Ι Ϥ Ο Ν [ο]ΞΙϒ
ΑΝΤΙΟΧΟϒ///////////
ΤΩΝΣϒΣΤΑΤΩΝ
ΠΑΠϒΛΟϒ/////////Δ//////ΑΠΟ//////ΑΡΤΕ
ΝΕΙΚΙΟϒΔΙΠΟΡΡΙΟΙΟϒ//////////////ΑΙ

Ætas tituli deterrima est. In quo nihil certi legere valeas, nisi quæ sequuntur verba :

Ἀντιόχου......
τῶν συστάτων....
. . . .
Νεικίου........

2° Hic titulus repertus est in vico dicto ***Kilissé-Keuï***, qui in eodem loco situs est atque olim urbs Elaia, portus Pergami, in Mysia (Vide quid disseruerit E. Curtius, *Beitræge zur Geschichte und Topographie Kleinasiens*, p. 69). Hunc edidit in diario dicto Ἀμάλθεια vir smyrnæus Fontrier; et nuperrime rursus editus est, litteris sane minoribus, in libello dicto : Μουσεῖον καὶ Βιβλιοθήκη τῆς Εὐαγγε-

λικῆς Σχολῆς. Quem hic repeto ex apographo quem ab editore smyrnæo accepi.

		ΟΙ
ΟΔΗ	ΟΙΠΑΙ	ΕΝΚΡΙΘΕ
ΜΟΣ	ΔΕΥΤΑΙ	ΝΤΕΣΕΙΣΤΟΥΣ
		ΕΦΗΒΟΥΣ

Hæc verba in coronis inscripta sunt.

ΕΠΙΑΡ[ΧΙΕ]ΡΕΩΣ
ΒΑΣΣΟΥ[ΣΤΕ
ΦΑΝΗΦΟΡΟΥ////////
ΛΙΟΥ
ΦΙΛΙΕΤΩ
///////////////////
/////////////ΑΘ
////////////ΛΙΣΑ
//////////ΠΟΣ
//////////Ε
////////////////
/////////ΕΚ
//////ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
/////ΜΗΝΟΦΙΛΟΣ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ

Ο δῆμος	Οἱ παιδευταί	Οἱ ἐνκριθέντες εἰς τοὺς ἐφήβους

Ἐπὶ ἀρ[χιε]ρέως
Βάσσου [στε-
φανηφόρου [Ἰου-
λίου. . . . . .
Φιλί[σ]τῳ?.....
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

. . . .
. . . .
. . . .
.... Ἀπολλωνίου
.... Μηνόφιλος
.... Ἀπολλωνίου

3° Titulus sequens nuper editus est in diario smyrnæo cui inscribitur nomen : Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς Ἐυαγγελικῆς Σχολῆς (anno 1876). Quod quum in Occidente minus notum sit, titulum hic referre haud inutile nobis visum est. Repertus est in insula Icaria, « ἐπὶ στήλης... εὑρεθείσης εἰς κάμπον τμήματος Εὐδήλου, τῆς νήσου Ἰκαρίας. »

Ἔτους ξη'
Γυμνασιαρχοῦντος
Ἀρχείτου τοῦ Δημοκλέους
ἐφηβαρχοῦντος Μ. Μοδ. Συνίστορος
ἐφήβε[υσ]αν
Μητροφῶν Ἀρχείτου
Ἀρχείτας Τειμάρχου
Βάσσος Ἱέρε[ο]ς?
Ἀπολλώνιος Ἐπαφροδείτου
Ἀλέξανδρος Θέωνος
Ἄψογος Χαριέσσης
Θέλγων Χαριέσσης
Εὐθύνους Θεοδώρου
Σεραπίων Χαριέσσης
Θάλιος Χαριέσσης
Ροῖχος Μανδροπότου
Εὐτύχης Ἑρμίου
Φιλήμων Κλάρου

Μόλπικος	Ἀπελλᾶ
Ἡρόδωρος	Ἀπολλοδώρου
Εὐδαίμων	Χαριέσσης
Ἱμ[έ]ρασος	Μανδροπότου

Nomen Ἱμέρασος nusquam reperitur; certe corrigendum est Ἱμεραῖος.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. IV id. octobr. an. MDCCCLXXVII, Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

H. WALLON.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

A. MOURIER.

INDEX CAPITUM.

